

Sebastian Schmidt Johann Daniel Schadaeus

**Dissertationem Theologicam De Venditione Christi. Ex Sachar. XI. v. 12. seq. Et  
Matth. XXVII. v. 9. seq. ... Sub Praesidio Dn. Sebastiani Schmidii ... Placido  
Eruditorum Examini Submittit M. Johannes Daniel Schadaeus, Argentin. Ad diem  
[ ] Aprilis hor. locoq[ue] consuet. An. M.DC.LXXXVIII.**

Argentorati: Tidemannus, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788082353>

Druck Freier  Zugang





77.



Fa-1092(77.)

Tom<sup>o</sup> LXXXIX.

1. Carolus Ludovici Duvivier de Divinitate Christi go  
œconomia gratiae. Ulmæ 1716.
2. Seb. Schmid de oblatione Fidelium g. L. l. 13. 14. 1712. 52.
3. — . de venditione Christi ch. xxvii, 9. — 1688. 41.
4. Jo. Jacob Lungenhausen contra Anonymi Angli Christianity  
not christenous Christianissimum rationalem. 1713. 57.
5. Michael Foerstius Preser Rimb ergio de pachr hominum  
cum Diabolo ad effundendos Thesauros absconditor. 1716. 62.
6. Gottlieb Wernsdorff Preser Jo. Jacobo Ferber de Theologia  
experimentalii. 1711. 7.
7. Jo. Jacob Ferber pr. eis. de expectatione et induratione spirituali  
ad Marc. IV. II. v. Arent 1716. 8.
8. Gottlieb Wernsdorff de Theologia mystica. 1714. 9.
9. Jo. Joachim Zentnerus de Pœnit. quotidiana. 1697. 10.
10. Jo. Franc. Buddeg Preser Sibero de Beatitudine aratorum. 1709. 10.
11. — . de Hæresi Arabiorum. 11.
12. Jo. Frideric. Mayer Paulus Suecorum Apostol. I. Theser  
ex Epiphila ad Galatas a Sueor Studiis defendenda. 1709. 12.
13. Jacobus Staalkopff de Spinozismo post Spinozam Gryph. 1708. 13.
14. Martinus Geier ad Ezech. XIV. 9. Recens Witt. 1712. 14.
15. Georgi Henr. Goetz ad Act. X. 44. 45. 46. Kubæ. 1712. 15.
16. — . observationes ad c. Mat. XII. 40. 16.
17. — . de Mercatoribus eruditis. 17.
18. 19. — . de Mercatoribus eruditis. 18.
20. — . Museum Eruditum vanis memorabilibus conscripsit. 19.
21. Jo. Andreas Schmid de literis sanguine Iesu Chr. firmatis. 20.
22. Petrus Zorn de methodo applicandi Phraselogiam dogmaticam ex  
Analoxia rituum. 21.

23. Io. Georg Abicht R. Jesaree commentarij in Iosuam  
24. Daniel Hriconer de Characteribus Pseudo-Prophetarum Gen. vij.  
25. Io. Nicolaus Quistorp sy de Seductoribus ad Mat. xxiv 4. 5.  
26. Thomas Iturius ad Abucane opusculū de baptismo Fweliū  
Vet. T. sp aquam ex Chnsh laterē.  
27. Io. David Walther sub Presidio Buddei ad Hebr. viii, 22 (21)  
28. Gustav. Georg Zeltner ad 1 Cor. xl, 10.  
29. Endenius Sifrid Ring de Lapidatione Hebrewonū.  
30. Godofredus Sudorici de Missionib[us] in Indiam.  
31. — Zeltner de Sivno Filii Homini; jam exhibito.  
32. Anti Aindii Thioa Dissert. Philol. Antiquarianū.  
33. Urbanus Godofredus Sibene de Sanctis columnis.  
34. Ohnshang Gottlob Schwartz de veterum codicū ornamentis.  
35. Aiani Reichenbergii Enchyla ad Lyschium Parianum.  
36. Io. Nicolai Hartschmid Theses Anti-Pietisticæ.  
37. — — — — De Conventiculis pror festis posterior Theologica.  
38. — — — — — —  
39. Io. Wolfgangi Seegeri Acta Esslingensia.  
40. — — — — — — De purgatorio Bunyondie et Poireti.  
41. — animadversiones in tractatu d[omi]ni A. Mad. de Gyon  
42. Io. Andreas Knoblauch de Indifferentismo Carolina.  
43. Io. Hermannus ab Urswich de Salinodia fanaticorum  
44. Anonymi repetitio doctrinae fundamento fidei contra Thomasi  
45. Gustavus Herwarth de Bohemis Naturisimo & frid[us]  
46. Jacobus Schroeter de Haedinoen N.T. eronib[us] Pietisticis.  
47. Io. Jacoby Terbenus de Fanaticis in rectam rationem inveniuntur.  
48. Franciscus Jacobus Firnhaber de Methodo Mathematica.

Theologica

v.

3.

DISSE<sup>ת</sup>TATIONEM THEOLOGICAM

VENDITIONE  
CHRISTI.

*Ex*

SACHAR. XI. v. 12. seq. ET MATTH. XXVII. v. 9. seq.  
*JUVANTE JESU VENDITO.*

Sub PRÆSIDIO

DN. SEBASTIANI SCHMIDII,  
SS. TH. DOCT. PROFESS. SENIORIS, FAC.  
Theol. Decani Spectabilis, Conventus Ecclesiastici  
Præsidis, & Capituli Thomani Decani

Gravissimi,

*Dni. Patroni, Præceptoris, Promoto-*  
*ris, atq<sup>e</sup> Avunculi Magni, Patris loco,*  
*filiali observantia suscipiendi.*


PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
M. JOHANNES DANIEL SCHADÆUS,  
Argentin.

Ad diem Aprilis hor. loco<sup>j</sup> consuet. An. M. DC. LXXXVIII.



ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

22  
32.  
7.  
4.  
5.  
53.  
2.  
1.  
2.  
3.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.





כָּבֵשׁ

DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
VENDITIONE CHRISTI.

Ex

Sachar. XI. v. 12. sq. & Matth. XXVII.

v. 9. seq.

§. I.

**T**empore anni hoc nostro, quo in Ecclesijs passio Dominica publicè proponi & expositi solet, constituimus aliquid etiam ex historiâ ejusdem passionis Dominicæ meditari. Occurrit autem apud Evangelistam Matthæum Cap. XXVII. v. 9. & 10. locus de venditione Christi, ubi impletum in eâ dicitur id, quod per Prophetam Jeremiam olim prædictum fuerit. Qui verò locus ab antiquissimis Ecclesiæ Novi Testamenti Temporibus non parum difficilis Interpretibus visus est; adeò ut multas pepererit sententias: sed nec hodierno quoque tempore adhuc Interpretes in unam quandam sententiam conspirant. Licebit ergo etiam nobis, quid statuendum videatur, Academicè exponere: si aliquid fortè ad meliorem loci difficilis intellectum conferre queamus. In quo verò instituto & conatu nostro clementissimus DEus, propter Filium suum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, Spiritus sui Sancti gratia nos adjuvet, ut saltem, quod acturi sumus, non sit frustraneum, Amen.

§. 2. Ante omnia autem utrumque Prophetæ & Evangelistæ textum propoenere oportet. Apud Prophetam itaque

A. 2

Sachar-

22  
32.  
4  
5  
6  
7  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.

Sacharjam Cap. XI. v. 12. & 13. (quem allegare Evangelistam posteā constabit) ita habent verba :

וְאָמַר אֱלֹהִים אֶסְתֶּר טוֹב בְּעֵינֵיכֶם הַבָּנו שְׁכָרִי וְאֶסְתֶּר לֹא חֲדֹל וְיַשְׁקְלֹן  
אֶת שְׁכָרִי שְׁלָשִׁים נֶסֶף : וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים כִּי־יְזַעַר אָדָר  
הַיּוֹרֶד אֲשֶׁר יִקְרַתִּי מַעַלְיָהָם וְאַקְהַתִּיהָ שְׁלָשִׁים נֶסֶף וְאַשְׁלִיךְ אֶת־  
יְהוָה אֱלֹהִים :

Quæ Prophetæ verba satis incommode vertisse Septuaginta Interpretes pridem alij annotarunt. Ita enim illi : Καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτὸς, εἰ καλὸν ἐνόπιον ὑμῶν ἔστι, δέδε τὸν μαδόν με, ἢ ἀπέίπασθε. καὶ ἔστοσαν τὸν μαδόν με τριάκοντα ἀργυράς. καὶ ἔιπε κύριος πρόσθ με, καθέτε αὐτὸς εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ σκέψομαι, εἰ μόνιμόν ἔστιν, οὐ τρόπον ἐδοκιμάσθη ὑπὲρ αὐτῶν. καὶ ἔλαβον τὰς τριάκοντα ἀργυράς, καὶ ἔβαλον αὐτὸς εἰς τὸ δίκον Κυεῖς εἰς τὸ χωνευτήριον. Hoc est : Et dicam (in diebus istis futuris) illis ; si bonum in conspectu vestro est, date mercedem meam ; aut denegate. Et constituerunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, immittite eos in conflatatorium, & videbo, num probatum sit, quomodo probatus sum super illis. Et acceperunt triginta argenteos, & injeci eos in domum Domini in conflatatorium. Ubi facile quisvis linguae utriusque peritus observare potest, quantum Græca ab Hebræis abeant, non quod ad verba tantum, sed sensum etiam. Vulgatus Interpres longè melius se habet, nisi quod pro figulo statuarium posuit : quando transtulit ; Et dixi ad eos : si bonum est in oculis vestris, afferite mercedem meam : & si non, quiescite. Et appendenterunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : projice illud ad statuarium, decorum premium, quo appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium. Chaldaeus quoque Interpres Ionathan Expositorem potius obscurum, quam Paraphraſten egit : de quo infra aliquid. Ut plures omittamus, brevitatis causa, Versiones, genuina Versio hæc dari potest : Tum dixi ad illos ; si bonum in oculis vestris, date mercedem meam ; si verò non, omittite : appendenterunt ergo mercedem meam, triginta (nummos) argenti. Sed dixit ad me Jehovah ; Abjice hoc profigulo ; magnificentiam pretij, quo pretiosus habitus sum, ut non sim super illis : quare sumsi triginta (nummos) argenti, & projeci istud (argentum) in domum Jehovah pro figulo. Hæc de Prophetæ loco.

I. 3. Jam Evangelistæ Matthæi verba hæc sunt Cap.  
XXVII.

XXVII. v. 9. 10. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥῆθεν διὰ Ιερεμίας τὸ προφήτει λέγοντος, καὶ ἔλαβον τὰ σειάκοντα ἀργυρία, τὴν θυμὴν τῆς τελευτῆς, ὃν ἐπιμέτρων ἀπὸ ψάντων Γραψίλ, καὶ ἔδωκαν ἀπὸ τοῦ ἀργεῖου τῷ κεραμίστῃ, καθά συνέλαβε μοι ὁ Κύριος. Vulgatus satis ad verba vertit, si satis latine: Et acceperunt triginta argenteos, preium appreciati, quem appre- ciaverunt à filiis Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Non nihil variat Syrus Interpres, quando trans- tulit: Tunc impletum id, quod dictum est per manum Prophetæ, qui dixit; Accepi triginta (nummos) argenti, pretium pretiosi, quem paclij sunt de filiis Iſrael: & dedi eos in agrum figuli, sicut præcepit mihi Dominus. Sed Arabs tamen, qui aliás Syrum sequi solet, ita habet: Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem; acce- perunt triginta (nummos) argenti, precium justi, super quem paclij sunt filij Iſraelis, & dederunt pretium (posuerunt) pro agro figuli, sicut dixit mihi Dominus. Sed circa varias versiones non amplius occupabimur.

§. 4. Præcipiuus labor in hoc consistit, quomodo Tex-  
tus originales Prophetæ Sacharjæ & Evangelistæ conciliandi  
sint. Et I. quidem, scribit Maldonatus ad locum Matthæi;  
Magna hic, & vetus quaſtio est, quomodo Mattheus Jeremiam citet, apud  
quem hoc testimonium non reperitur, cum apud Zachar. II. 12. potius re-  
periatur. Omnes, & veteres & recentiores, Interpretes in hujus difficultatis explicatione magnopere laborarunt. Quia enim, sicut Dn. D. Ger-  
hard. Harm. Evang. de Pass. cap. II X. habet, hoc vaticinium non  
extat in Jeremia, sed Zacharia cap. XI. v. 13. Ideo variae quaſtæ sunt  
Explications, cur pro nomine Zacharia possum sit nomen Jeremias. Va-  
rias autem has explications idem D. Gerhardus noster, cum  
suâ Epicrisi, refert: quando pergit; Quidam 1. statuunt, Evange-  
listam memoria quodam lapsu pro Zacharia posuisse Jeremiam. In hanc  
sententiam inclinat Erasmus in Annotation. b. l. si fuisse, inquit, in nomi-  
ne duntaxat memoriam lapsus Evangelista, non opinor quenquam adeo mo-  
rosum esse oportere, ut ob eam causam totius Scripturae labasceret autoritas.  
Sed cum Evangelistæ in contexenda Historia sacra fuerint Spiritus  
Sancti amanuenses, qui locuti sunt & scripserunt impulsu à Spiritu Sancto.  
2. Petr. I. v. 20. Ideo tamē quenam errorē Evangelistis tribuere, in  
ipsum Spiritum S. foret injurium. August. igitur recte statuit, ab Evan-  
gelistis decere omnem falsitatem abesse, non solum eam, quæ mentiendo pro-

4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

mitur, sed etiam obliviscendo. Admissum enim in tantum auctoritatis fas-  
 fligium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, que  
 non possit in dubium revocari, Epist. 8. 2. Quidam existimant absolute & in-  
 definitè legendum esse, Tunc impletum est, quod dictum fuit per Prophetam,  
 nulla facta specialis cuiusdam Prophetæ mentione, nomen Jeremie  
 ab indocto quodam scriba additum & textui insertum esse. Hac sententia  
 confirmari posset eo, quod Matthæo in more positum sit, Scripturas Ver. Test.  
 hoc modo allegare, ut Prophetæ nomen in specie haud quaquam exprimat,  
 sed in genere tantum moneat, extare de hac re vaticinium Propheticum, cap.  
 I. v. 22. cap. 2. v. 6. 15. 23. cap. 13. v. 35. cap. 21. v. 4. cap. 27. v. 35.  
 suffragatur etiam versio Syriaca, que nullum Prophetam hic nominat, sed  
 in genere loquitur; Tunc impletum fuit id quod dictum fuerat per ma-  
 num Prophetæ. Augustinus quoque lib. 3. de cons. Evang. cap. 7. testa-  
 tur, suo tempore à quibusdam Latinis Codicibus nomen Jeremie abfuisse,  
 ac Lyranus annotat in libris antiquis illud haud quaquam legi. Profer-  
 tur etiam hæc conjectura, quod Jeremie potius quam Zacharia nomen in-  
 sertum fuerit, quia Jerem. 32. apud LXX. Interpretes ( quorum versio  
 olim erat in vulgari Ecclesiæ usu, & ab Apostolis in Nov. Test. plerumque  
 allegatur ) exstet diserta Historia de agro, quem Jeremias jussu Dei eme-  
 rit à suo patruele, sed Zacharia Historia, prout legitur in Versione LXX.  
 Interpretum, ab allegato Evangelista testimonio plurimum discrepet. Sed Græci  
 Codices omnes legunt additum Jeremie nomen, idè dubium esse nequit, ab  
 Evangelista illud insertum esse, nec discrepat hoc à more Evangeliste, qui  
 pluribus in locis speciatim nomen illius Prophetæ exprimit, ad cuius vati-  
 cinium nos remittit, utpote cap. 3. v. 3. cap. 4. v. 14. cap. 8. v. 17. cap. 12.  
 v. 17. 3. Quidam ergo statuunt vaticinium illud de empto agro ex pretio  
 prodictionis in Jeremias olim exitisse, sed malitia Judæorum verba illa ex  
 textu Prophetico esse sublata. In hanc sententiam inclinat Eusebius lib. 10.  
 demonstr. Evang. cap. 5. Justinus etiam in Dial. cum Tryphone Judæo  
 aliquot loca Nov. T. recenset, que à Judæis fuerint expuncta & corrupta.  
 Sed hac solutio est admodum violenta, & librorum Canoniorum V. T. au-  
 thoritatem non mediocriter labefactat. Extant in Scriptura V. Test. plura &  
 clariora contra Judæos testimonia, cur igitur illis relictis hoc duntaxat ex-  
 punxissent? Proinde dictum Hieronymi in cap. 6. Esa. accuratè hac de re  
 notandum: Si quis dixerit, Hebreos libros esse à Judæis falsatos, audiat  
 Origenem, quid in octavo volumine explanationum Esaiae huic respondeat  
 questiuncula, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cetera crimina ar-  
 guunt

guunt in scribis & Phariseis , de hoc crimine , quod erat maximum ,  
reticuissent : sin autem dixerint , post adventum Domini & predica-  
tionem Apostolorum libros Hebraos fuisse falsatos , cachinnum tenere  
non potero , quod Salvator & Evangelista & Apostoli ita testimonia  
protulerint , ut Judaei postea falsaturi erant . 4. Quidam ergo eō  
abeunt , ut dicant , errore quodam scriba nomen Jeremia positum esse pro  
Zacharia . Hanc sententiam itidem attingit Euseb . l. d. f. 299 . οὐθα καὶ  
ἐπισήστεις ( inquit ) ἐπεὶ μὴ ταῦτα φέρεται ἐν τῇ τοῦ Ἱερεμίου προφητείᾳ ,  
εἴτε χρὴ ὑπονοεῖν πεινηγῆδαι ταῦτα ἐξαυτὸς κατά τινα ράδικρυλα , οὐ καὶ  
σφάλμα τερψικόν γεγονέντων τῶν ἀμελέσεον τὰ τῶν ιερῶν ἐναγγελίων αν-  
τίρραφα πεποιημένων , σφαλέντος τινὸς καὶ ἀντὶ μὲν τῷ Ζαχαρίᾳ τῷ Γε-  
ρμίᾳ τεθεικότος , ὡς δέον ὅτως ἀναγεγέρθαι . Τότε ἐπληρώθη τὸ  
ἔπιθεν διὰ Ζαχαρία τὸ προφήτεια . Ubi insistendo attendes , non enim per-  
hibentur ista in Prophetia Jeremie , sive suspicandum est exēta inde esse  
aliquo maleficio , sive scribarum errore accidisse , qui negligentius exem-  
plaria sacrorum Evangeliorum conficerent , decepto aliquo & pro Zacharia  
ponente Jeremiam , ut sic perscribi ista oportuerit . Tunc impletum est ,  
quod dictum fuit per Zachariam Prophetam . Accedit quod in Græcis  
abbreviaturis pro Ιερεμίᾳ facile legi potuerit 'Ιερεμία pro Za-  
charia , sed cum nullus proferatur Codex Græcus , qui habeat nomen Za-  
charia , sed omnes Codices constanter legant nomen Jeremias , cumque in  
ipsis fontibus corruptio non nisi urgentissimis ex causis concedenda sit , idēo  
etiam hæc solutio non est satis concinna . August . lib . II . contra Faustum  
Manich . cap . 2 . Quæ autoritas literarum aperiri , qui sacer liber evolvi ,  
quod documentum cuiuslibet scripture ad convincendos errores exeri pot-  
est , si hæc vox admittitur , scripturas esse corruptas ? 5. Quidam disputant  
ex Apocrypho quodam libro Jeremia hoc vaticinium ab Evangelista alle-  
gari . Huius sententia auctor est Hieron . qui in cap . 27 . Matth . sic com-  
mentatur : Legi nuper in Hebraico quodam volumine , quod Nazareæ se-  
cta Hebreus mihi obtulit , Jeremias apocryphum , in quo hæc ad verba scri-  
pta reperi . Eandem sequuntur Origenes & Euthymius in b . I . Sed ex Apo-  
cryphis addito expresso Prophetæ nomine ab Evangelista & Apostolis in  
N . T . quedam citari , periculosè asseritur . Sane in admonitionibus , ex-  
hortationibus ac redargutionibus non solum ex Apocryphis , sed etiam ex  
Ethnicorum libris quedam allegant , sed hoc dictum allegatur ut vatici-  
nium Propheticum de re futura , inde ipse Hieronymus hanc sententiam  
non videtur admodum probare , sic enim scribit loco dicto : sed tamen mi-  
hi vi-

hi videtur magis de Zacharia sumtum testimonium Evangelistarum & Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso sensus tantum de V. T. proferunt in exemplum. Et in Epist. ad Pammach. Absit de pedisse quo Christi dicere, quod errarit, cui cura fuit non verba & syllabas auctupari, sed sententias dogmatum ponere. 6. Quidam statuunt hoc Jeremiac vaticinium per traditionem quandam non scriptam ad Judeos pervenisse. Huic sententia calculum præbet Chrysost. in Epist. ad Timoth. scribens, quod Judæi quedam habuerint, quæ circa librorum monumenta per manus tradebant viva voce, ea vocabant ἄγεστα five traditiones, fieri autem posse, ut hujusmodi loca ab illis hausta sint. Addit etiam fieri potuisse, ut licet hæc scripta non fuerint, nec ab alijs audierint, tamen afflatus Spiritus S. Apostoli didicerint. Sanè Judæi multas habuerunt traditiones, quarum cabala plurimū omnino tribuerunt, sed ab Evangelistis & Apostolis dubijs hisce & incertis traditionibus divinam & Prophetamic auctoritatem fuisse tributam, probatu difficile erit. 7. Quidam presupponunt Zachariam fuisse διώρυξ five binominem, constat enim ex V. T. apud Judeos hoc fuisse perquam frequens, sicut etiam de Zacharia Barachia filio creditur, quod idem dictus fuerit Joadas, Matth. 23. v.34. Quo referri potest, quod utriusque nominis eadem ferme sit significatio. Jeremias enim est qui exaltat Deum, Zacharias qui commemorat vel celebrat Deum. Sed hæc sententia nittitur incerto fundamento, cum nullo teste probari posset, Zachariam Prophetam cognominatum esse Jeremiam. 8. Quidam in ipso Jeremia vestigia hujus vaticiniū querunt, nam Jerem. 32. vers. 7. & seqq. commemoratur, quomodo Jeremias mandato Domini agrum emerit, ac librum emtionis in vase scilicet posuerit, id quod similitudinem aliquam cum vaticinio ab Evangelista citato videtur habere. Congitari igitur posset Evangelistam duo vaticinia ex Jeremias & Zacharia conjungere, apud Jeremiam enim habetur Propheta de emptione Christi, apud Zachariam exprimitur emptionis pretium, qua duo Evangelista conjungit, & sub unius Prophetæ nomine allegat. Sed emio illa agri apud Jeremiam facta est septem scilicet & decem argenteis, ac longè alium finem sibi habuit propositum, quia divinitus jubetur Propheta agrum emere, cum Rex Babylonicus arcte ob sideret urbem, ad consolationem piorum Israëlitarum, significabatur enim hac emptione reducendos aliquando Israëlitas ex Babylonica captivitate in urbem.

¶. 5. Post recensitas omnes istas sententias tandem D. Gerhardus subjicit, quam probat, hanc sententiam: simpliciter igitur

igitur respondentes, Evangelistam consultò ac data operâ hac nominum Propheticorum permutatione fuisse usum, ut ostenderet, uno eodemque Spiritu Prophetas impulsos fuisse, ac in Propheticis vaticinijs non tam instrumentalem, quam principalem causam, hoc est, Spiritum Sanctum, à quo edita sunt, respiciendum esse. Secreto Dei consilio factum est, inquit Glossa ordin. ut animo Matthæi pro Zacharia occurreret Jeremias, quia omnes Prophetæ uno Spiritu sunt locuti, ita ut singula sint omnium, & omnia singularum. Quare ergo Matthæus hoc emendaret, quod spiritu regente fecerat, ut per hoc admonereretur, tantam inter Prophetas esse concordiam, ut uni congruè deputetur, quod ab alio dicitur? Desumpta vero est hec Glossa ordinaria Explicatio ex Augustino lib. 3. de cons. Evangel. cap. 7. Sed quemadmodum Dn. D. Gerhardus suprà reliquas omnes Interpretationes rejicit: ita hanc postremam refutat etiam Maldonatus h. l. Sunt, inquit, qui Evangelistam memoria lapsum existimant, cumque pro Zacharia nomine nomen illi Jeremia occurrisset, id scripsisse; postea vero etiam vel ipsum perse, vel atiorum monitu, quod adhuc eo vi-vente ejus Evangelium legisse, credendum est, & Jeremia pro Zacharia nomine possum animadvertisse, emendare tamen noluisse, quod id ipsum Spiritu Sancto instigante factum crediderit, qui cum idem omnium Prophetarum ore locutus esset, non referret, quid à quo Prophetæ dictum sit: singularum enim Prophetarum dicta omnium esse communia, ita, ut, quod ab uno dictum est, ab omnibus dictum esse censeatur. Ita Augustinus lib. 3. consens. Evang. cap. 8. & Beda in Comment. quorum opinionem nullo prorsus modo probandam existimo. Nam Evangelistas memoria aliquando lapsos esse, et si scio dixisse aliquos & doctos & Catholicos Auctores, existimasseque, nihil propterea de Scripturæ auctoritate minui, haud equidem intelligo, quomodo id Spiritu Sancto dictante & salva Scripturæ fide, quæ summa & firmissima esse debet, fieri potuerit: & dicere propterea Ieremiā pro Zacharia citari potuisse, quod idem per omnes Prophetas locutus sit, violenta mihi videtur interpretatio. Hæc Maldonatus, qui propterea tandem pergit: Rem mihi attingere videntur, qui existimant, Evangelistam nullius Prophetæ nomen posuisse, sed tantum dixisse, Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam, ut multis alijs dicere consuevit cap. 1. 22. cap. 2. 5. 15. 23. & 13. 35. & 21. 4. Et hoc ipso capite versu 35. scriptorem vero aliquem, cum putaret Ieremiā citari testimonium, ejus nomen ad marginem adscriptisse, postea aliquem alium in contextum inseruisse. Confirmat hanc conjecturam, quod in Sy-

riaio Evangelio Ieremias nomen non legatur: quodque August. lib. 3. de  
 sorsens. Evang. 7. scribit, suo tempore in multis Latinis etiam Codicibus  
 lectum non fuisse. Hæc ille. Heinso Exercit. Sacr. ad h. l. valde  
 prolixus est, statuitque, duos Prophetas citari à Matthæo, Je-  
 remiam & Zachariam; illum nominatim, hunc testè: utri-  
 usque autem verba commisceri: vocatque in subsidium no-  
 vam distinctionem. Sed vereor, ut suam istam sententiam doctis  
 persuadeat. Heinso adscribendus est Sanctius in Sach. cap. XI.  
 vid. etiam sup. Probabiliorē facit Joh. Lightfootus expositi-  
 onē, quam habet hor. Hebraic. ad h. l. Ego, inquit, quod pace tanto-  
 rum virorum dictum velim, vel literulam quidem unam aut notam esse,  
 aut insciū Evangelista irrepisse, non solum nego, sed à Matthæo sic, ut le-  
 gimus, scriptum Jeremiam, à suis promissimè intellectum receptumque  
 fuisse, strenè affero; exscripto hoc è Talmudicis veteris monumento;  
 penes Lectorem esto judicium. Bab. Bava Bathra fol. 14. 2. Traditio Rab-  
 binorum. Hic est ordo Prophetarum, Liber Josuæ, Judicum, Samuelis,  
 Regum, Jeremias, Ezechielis, Esaiæ, & duodecim. Et paulo post. Cum  
 autem tempore præcesserit Esaias, Jeremiam, atque Ezeziel, præ-  
 pendens rite esset Esaias. כִּי אָמַר יְהוָה צְדָקָתִי כִּי אָמַר יְהוָה צְדָקָתִי  
 Cum vero liber  
 Regum terminaret in excidio יְהוָה צְדָקָתִי כִּי אָמַר יְהוָה צְדָקָתִי Jeremiasque totus  
 agat de excidio; cumque initium Ezezielis sit de excidio, finiaturque in  
 consolatione, cumque totus Esaias sit de consolatione סְמִכְנֵן חֹרְבָנָא:  
 : לְחֹרְבָנָא וְנַחֲמָתָא conjunxerunt excidium cum excidio, &  
 consolationem cum consolatione: id est, libros, qui egerunt de excidio, con-  
 junxerunt, & libros coniunxerunt qui egerunt de consolatione. Traditio-  
 nem hanc citagam habes à Dav. Kimchio in præfatione ad Jeremiam.  
 Unde patet aperiè, Jeremiam in volumine Prophetarum olim primum lo-  
 cum obtinuisse: atque hinc ejus memoria præ omnibus alijs Prophetis.  
 Matth. XVI, 14. Quia ille primus incepit in volumine Prophetarum, no-  
 minatur ille primus; cum ergo textum Zachariae sub nomine Jeremias pro-  
 ferat Matthæus, verba è volumine Prophetarum citat tantum, sub istius  
 nomine, qui primum locum tenuit in volumine Prophetarum. Cujus fa-  
 rina est etiam illud Salvatoris Luc. XXIV. 44. complenda sunt omnia,  
 qua de me scribuntur in Lege, Prophetis & Psalmis. In Psalmis, id  
 est, libro Hagiographorum, in quo primum locum obtinuit liber Psalmorum.  
 Haec enim Lightfootus. Haberi istam Thanjam seu Traditio-  
 nem in isto Talmudis Tractatu, certum est: & non tantum  
 Dav.

Dav. Kimchius, sed & R. Abarbanel eam allegat & exponit. Nec quicquam inepti aut absurdii est, quando libri Prophetici ordinantur, sicut Traditio disponit. Ratio namque & ordo Historiarum & temporum, licet non ætates ipsorum Prophetarum, eam jubent & suadent. Siquidem de libris Iosuæ, Judicum, Samuelis & Regum res manifesta est. Jam quemadmodum liber Regum (quem ibi Talmudici unum faciunt) in excidio Hierosolymitano & captivitate Babylonica definit: ita Jeremias quendam quasi commentarium super Historiam excidij scripsit: ut merito subjungatur. Cui reftè etiam succedit Ezechiel, qui, quæ in ipsa captivitate Babylonica contigerunt, comprehendit. Hinc suprà etiam probabiliorem diximus sententiam Lightfooti, Traditione istâ nixam, quod Evangelista Matthæus citaverit volumen Prophetarum sub nomine Jeremiæ, qui primum in illo locum habet q. d. quod dictum est in volumine Prophetarum, à Prophetæ Jeremia incipiente. Non dissimile namque videtur, quando exem. gr. citatur aliquid ex libro Genesios, hoc modo: quod dictum est in Bereschith. q. d. in libro primo Mosis, à Bereschith incipiente. Est tamen, quod in hac quoque Lightfooti, de quâ hic quidem sibi videtur esse certissimus, sententia desiderari potest. Etsi namque Traditio modo, qui dictus est, libros Propheticos aliosque libros Biblicos ordinat: non tamen vel ex libris sacris Novi Testamenti, vel ex Scriptis Hebræorum ullum accommodatum satis exemplum talis allegationis, quam le Lightfootus Matthæo Evangeliae tribuit, sive à Lightfooto ipso datum est, sive dari poterit. Certè ex Hebræorum scriptis nullum Lightfootus allegat: nec me observasse ullum memini. Quæ ex Novo Testamento idem adducit, hoc non quadrant. Nam Matth. XVI. Jeremiæ, non libri, sed personæ mentio fit: nec liber aliquis allegatus, sed de personis opiniones. Ita Johannes Baptista allegatur & Elias, quorum neuter librum scripsit; qui citari potuerit. Jeremias ex Prophetis expresso nomine illis additur, procul dubio propter severas conciones, in primis legales. Quando porrò Salvator Luc. XXIV. v. 44. dicit, omnia complenda esse, quæ in Mose, Prophetis & Psalmis scripta sunt: non allegat

legat ullum librum sub titulis istis comprehensum , sed libros scripturæ distinguit , scil. in *Mosen* , h. e. quinque libros Legis , in *Prophetas* h. e. libros à Prophetis , prioribus & posterioribus , scriptos , & in *Psalmos* h. e. libros Poeticos . Non autem dicit Salvator ; omnia complenda sunt , quæ scripta sunt in *Bere-schith* h. e. libris Mosis , quorum primus est *Bereschith* ; Et in *Jo-sua* h. e. libris priorum Prophetarum , quorum primus est *Jo-sua* ; Et in *Jeremia* h. e. libris posteriorum Prophetarum , quo-rum primus est *Jeremias* , & in *Psalmis* h. e. libris Hagiogra-phorum , quorum primus est liber *Psalmorum* . Si ita locutus esset Salvator , haberit aliquid pro se potuisse *Lightfootus* .

§. 6. Quid ergo , inquis , tandem dicendum statuendum que erit ? His namque omnibus , quæ hæc tenus allegata & exposita sunt , probè consideratis , nulla sententiarum , licet multæ satis sint , invenitur , quæ non suas patiatur objectiones & obstacula . Sanè , inquam , ita se res habet : si quid tamen hic à nobis dicendum sit , dixerimus , eam sententiam , quæ Prophetam *Sacharjam binominem* facit , & nomen *Ieremias* , præter proprium *Sacharia* , nactum etiam esse statuit , videri reliquis omnibus præferendam . Plures namque in Scriptura Sacra haberi binomines certum est . Unde etiam non est momentum , quod huic sententiæ ob-jiciatur . Certe *Dn. D. Gerhardus* non habuit , quod huic sententiæ opponeret , nisi quod nullus testis sit , quod Prophetæ *Za-charias* binominis fuerit . *Quidam* , inquit , ut supra jam ha-buimus , præsupponunt , *Zachariam* fuisse διόρυξ sive binominem , con-flat enim ex V. T. apud *Judeos* hoc fuisse per quam frequens , sicut etiam de *Zacharia Barachia* filio creditur , quod idem dictus fuerit *Fojadas* *Matth.* 23. v. 34. Quo referri posset , quod utriusque nominis eadem fer-mè sit significatio . *Jeremias* enim est , qui exaltat *DEum* , *Zacharias* autem , qui commemorat vel celebrat *DEum* . Sed hæc sententia nititur incerto fundamento , cum nullo teste probari posset , *Zachariam* Proph-etam cognominatum *Ieremiam* . Nec *Maldonatus* plus habuit , quod huic sententiæ opponeret . Sunt , inquit , qui *Zachariam* binomi-nem fuisse conjiciant , & *Jeremiam* etiam appellatum : sed probanda con-jectura erat . Neque etiam *Jansenius* in *Concord. Evang. cap. CXL.* majus momentum invenit , quando scripsit : *Veri-similius illi dicunt , quamvis non sit firmum , Zachariam binominem , & etiam*

etiam Ieremiam fuisse dictum, sicut pater alterius cuiusdam Zachariae, de quo supra (Matth. XXIII.) binominis fuit, quia & Barachias dictus & Joudas. Ita etiam Janfenijs: qui quidem in eadē cum Maldonato sententia est, quod nomen Jeremiæ in textu Matthæi genuinum non sit, sed aliunde irrepserit; ut eum Maldonatus videatur sequutus esse. Verum enim verò cum nihil obster, quām quod sententiæ, Zachariam binominem fuisse, objicitur, nullo teste id probari posse, ideo non esse firmum, sed probandam conjecturam: ideo probatum si fuerit, quod testem habeat, adeoque firma sit, non autem conjectura amplius probanda; apparebit utique, quod sit sententia omnibus aliis præferenda: quippe quibus longe graviora objiciuntur, quām ut sufficienter expediri queant. Tentabimus itaque aliquid pro hac de binomini Sacharia sententia, D E O nos benè adjuvante.

§. 7. Et I. quidem hoc certum est, quod verba, quæ ab Evangelista Matthæo citantur, inveniantur apud Prophetam Sachariam, saltem quoad sensum, si non ad literas & syllabas. Quanquam enim quidam Interpretum solicite apud Jeremiam cap. XXXII. querunt, & se invenisse quid, quod satis esse possit, existimant: pridem tamen, ut apud Dn. D. Gerhardum & Maldonatum videre est, sententia eorum aliis displicuit, vel refutata etiam est. Unde Heinsius & Sanctius ausi non sunt, Zachariam excludere, sed verba Matthæi partim ex Jeremia, partim ex Zacharia desumpta esse arbitrati sunt. Sed quantopere textum partim distinguendo, partim exponendo torqueant, haud difficulter deprehendet, quisquis commentationes eorum accuratius expenderit. Certè, quod supra etiam indicavimus, sententiam suam istam multis verbis, quæ faciunt, prudentibus judiciis non facile persuadent: sicut nec haec tenus persuaserunt. Contrà autem ex optimis Commentatoribus constare potest, & nos etiam infra, datite D E O, exponere conabimur, quam egregiè Matthæus cum Sacharia concordet, & verba ejus suam in Sacharia sedem & fundamentum habeant. Jam 2. ut probetur, esse hominem aliquem in scripturis sacris binominem, non opus est externis argumentis probare: sed interna locorum scriptu-

ræ , qui conferendi inter se sunt , sufficere possunt . Quando namque ex. gr. in Novo Testamento , vel Veteri etiam , ali- quid ex alio Scripturæ sive Veteris sive Novi Testamenti lo- co allegatur , & res ipsa docet , ex quo loco id allegatum sit , sola autem nomina diversa sunt hominum aut rerum , de quibus res ipsa refertur , aut enunciatur , dicere tūd̄ li- cet , imò necessario dicendum est , quod diversa unius sive personæ sive rei fuerint nomina . Ratio hæc est : quia cum uterq; scripturæ locus divinitus sit inspiratus , oportet utrum- que etiam verum dicere , nec Lectorem fallere . Objicis forrè , certum quidem esse , quod verum sit , quicquid diyinitus in- spiratum est : sed probandum prius esse , quod illud divini- tus inspiratum sit ; alioqui ubi dissensus aut contradic̄tio de- prehensa fuerit , dicendum potius esse , quod scripture huma- nitus aliquid passa sit . Verumenimverò huic objectioni haud difficulter occurri potest , imò deber , ne autoritas scripturæ ullo modo vacillet , aut detrimentum capiat . Respondetur itaque : tamdiu insistendum est , omnia etiam verba scripturæ divinitus esse inspirata , quamdiu de illis vera contradic̄tio , quæ nulla conciliatione tolli queat , non probata fuerit . Unde quando res ipsa duorum scripture locorum concordat , in nominibus autem discrimen tantum relinquitur , quod tamen contradictionem non gignat , si unam eandemque personam vel rem diversa habuisse nomina , dicatur : mihi hoc ditenti non probandum est , quod reverà persona vel res diversa no- mina habuerit , cùm mihi sufficiat hypothesis concessa vel certè concedenda , scripturam sibi ipsi non verè contradicere ; ei ve- rò , qui personam vel rem diversa habuisse nomina negat , hoc ipsum , quod non habuerit , probandum incumbit . Declarabimus etiam 3. id , quod diximus , exemplo . Ipsi Interpre- tes , quando sententiam nostram de Sacharia binomine ex- pendunt , conferunt locum Matthæi nostrum cum altero hu- ius ejusdem Evangelistæ . cap. XXIII. v. 35. Ubi Salvator ad Phariseos & scribas dicit ; Ut veniat super vos omnis sanguis justus , effusus supn̄ terram , à sanguine Abelis justi , usque ad sanguinem Za- chariae , filij Barachiae , quem interfecisti inter templum & altare . Rem , quæ hic de Zacharia filio Barachiæ recensetur , habemus 2. Chron.

2. Chron. cap. XXIV. ubi de Zacharia filio Jojadæ refertur,  
 ¶ 2. Sed consipirarunt contra illum, ut lapidarent eum lapidibus, ex precepto  
 Regis in atrio domus Jehovæ. Quanquam verò hic Zacharias à scri-  
 ptore Chronicorum vocatur filius Jojadæ : Salvator tamen su-  
 um Zachariam dicit filium Barachiaæ. Zachariam autē Prophe-  
 tam invenimus fuisse filium Barachiaæ : cùm Jehojada, cuius fi-  
 lium facit scriptor Chronicorum, nusquam alias in scripturis  
 nominetur Barachias. Unde videtur Salvator scriptori Chro-  
 nicorū contradicere. Ergò vel dicendum est, quod Zacharias,  
 filius Barachiaæ, Propheta, etiam occisus sit in atrio domus Je-  
 hovæ, inter templum & altare: vel afferendum, quod Jeho-  
 jada binominis fuerit, etiam Barachias appellatus. Prius  
 istud, quod nimis Zacharias Propheta ita occisus sit, ne-  
 que ex scriptura sacra, neque ex historiis aliis aut traditione  
 constat; adeoque nimis difficile est afferere. Posterius autem,  
 quod Jehojada etiam Zacharias appellatus fuerit, omnem con-  
 tradictionem tollit; idemque possibile esse, certum est. Quan-  
 do ergo hoc posterius affirmo, & sic loca scripturæ concilio,  
 scripturæque autoritatem & integritatem conservo, quæ con-  
 servanda mihi est, ad ampliorem probationem planè non ob-  
 ligor. Quisquis contradictionem veram loci utriusque urgere  
 voluerit; illi incumbet probare, quod Jehojada nunquam  
 Zacharias appellatus fuerit, vel appellari potuerit. Tamdiu  
 autem consistet mea conciliatio, quamdiu istud probatum  
 contra me non fuerit. Sic ergò jam 4. etiam cum nostro loco  
 comparatum est. Manifestum est, ut supra dictum, quod ver-  
 ba ejus ex Propheta Sacharja desumpta sint. Dicitur autem,  
 quod à Propheta Jeremia dicta sint. Videtur ergò esse con-  
 tradictio: & reverā esset contradictionis, si verba, quæ fine dubio  
 Prophetæ Sachariae, filii Berechjæ, sunt, dicerentur esse Pro-  
 phetæ Jeremiæ, filij Chilkiæ. Dico ergò, cùm reverā verba  
 sunt Prophetæ Sachariae, Sacharjam dictum fuisse Jeremiam,  
 adeoque eundem Prophetam fuisse binominem. Ita me oportet  
 concludere, ne scripturæ sibi contradictant; atque sic con-  
 tradictio evanescit. Frustra hīc à me petes probationem con-  
 clusionis meæ, quod Sacharja idem sit, qui Jeremias. Nonne  
 enim vides me ita argumentari: Verba à Matthæo allegata  
 sunt

sunt verba Sacharjæ Prophetæ. Verba à Matthæo allegata sunt verba Jeremiæ Prophetæ: juxta ipsum Matthæum. Ergo verba Jeremiæ sunt verba Sacharjæ, & per consequens, Jeremias est Sacharja. Certe cum utraque præmissa probata sit, absurdè petitur probatio conclusionis. Fortè vero s. ratio etiam dari potest, unde Sacharja nomen Ieremiæ vel suo, quo vixit, tempore sortitus; vel eo à Spiritu Sancto per Matthæum Evangelistam maestatus sit. Deducunt ferè docti nomen Ieremiæ ex Verbo Hebræo יְהוָה Rumi, Altum esse, quod in Conjugatione Translitivâ significat, Exaltare: cum quo componatur nomen יהוָה Jehovah; ut ex hac compositione nascatur Nomen רִמְגַּדְיָה firmejahu, Ieremias, ut vulgo pronunciatur. Hinc Nomen hoc exponunt, is qui exaltat Iehovam: ut idem sit, quantum ad rem, cum Sacharjahu, Sacharias, h. e. is qui commemorat seu celebrat Iehovam: sicut suprà etiam apud Dn. D. Gerhardum habuimus. Verbum enim verò Etymologia ista cum Grammatica parùm congruit: quippe cui longè convenientius est dicere, Nomen firmejahu compositum esse ex Nomine Iehovah, & verbo Hebræo רָמָה Ramah, proieci, abject: quomodo significabit, Iehovah proiecit vel abject, facto scil. vel mandato; quæcunque fuerit res projecta vel projicienda. Accommodatiissimum hoc nomen est Prophetiæ Sachariæ Prophetæ, quam Evangelista allegat. Dicit namque Propheta, mandasse Iehovam Patrem Messiæ Iehovæ; Projice illud vel abjice illud pro figulo: & de seipso Messias, Projeci itaque illud in domum Iehovæ pro figulo. Nonne rectè hic dicitur Iehovah projecisse, qui Messiæ, ut projiceret, mandavit? Nonne in mandati divini memoriam Prophetæ, in quo Messiæ Iehovah, ut projiceret, mandavit, accommodatè dici potest Firmejahu, Iehova projecit? Juxta hanc nominis explicationem, cum respectu ad prophetiam & factum ejus, idem erit, ac si Evangelista diceret; Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam illum, qui ab hac ipsa Prophetiæ, & facto ab ipso in eâ de Domino Messia narrato meritò datus est vel dicitur Firmejahu, hoc est, Iehovah jussit me projicere, vel project; dicente; Et sumserunt triginta argenteos. Hanc nominis rationem si dederimus vel admiserimus, non absurdum erit dicere, quod, si prius Sacharja Propheta nomen Ieremiæ non gesserit, Spiritus tamen Sanctus per Matthæum

Evange-

Evangelistam, Prophetiam de projectis triginta argenteis allegantem, sapienter illi idem dederit. Sed hæc satis sunt de difficultate hac Textus nostri: pergendum namque jam etiam est ad ipsa Prophetiæ verba, quæ suam quoque difficultatem habent.

§ 8. Hic verò I. in genere certum est, quod Prophetia Sachariæ, qui Jeremiæ dictus; non ad verbum allegetur. Longè enim alius stylus, aliaque verba apud Prophetam, quam apud Evangelistam, extant: quod longâ probatione opus non habet. Unde communiter & rectè Interpretes dicunt, Evangelistam sensum Prophetæ, non verba allegare & exprimere. Hæc (verba Prophetæ & Evangelistæ) videntur, inquit Dn. D. Gerhardus, aliquantulum discrepare, sed si observetur regula, quam sapè repetit Hieronymus, quod Evangelista in allegatione vaticiniorum Propheticorum magis respiciant res & sensum, quam verba & syllabas, facile apparebit, nullam occurrere diversitatem ac discrepantiam. Quod non malè ab eo scriptum est; nisi quod nondum satisfacere videtur. Nam Evangelista non tantum aliis, quam Prophetæ, verbis utitur, eundem sensum tamen reddentibus: sed ipsam phraseologiam mutat, habetque, quæ in Prophetæ non comparent. Ubi enim in Prophetæ habentur verba, pretio emti, quem pretio emerunt à filiis Israëlis? Ubi verba, קָדְשֵׁנוּ וְרִאשֵׁנוּ, quemadmodum mandavit mihi Dominus? Quanquam aliena à Prophetæ sensu esse non dicimus. Quare existimamus, Evangelistam ita allegare Prophetam, ut simul Paraphrasten agat. Paraphrastæ autem est, non tantum verbum verbo in alia lingua reddere; sed etiam, quod obscurius est, alio stylo & verbis exprimere & exponere. Cujus rei exempla in Jonathane, Chaldæo Paraphraste, plura deprehendere licet: ne Judæi etiam habeant, quod nobis hic objiciant, cum Paraphrastes iste magna apud ipsos in autoritate & honore sit. Et non obscurum quidem occurrit in Paraphrasi nostræ prophetiæ, quæ de agimus. Nam verba Prophetæ §. 12. Et dixi ad eos, si bonum in oculis vestris, date mercedem meam: & si non, omittite, appenderunt ergo mercedem meam triginta (nummos) argenti, Jonathan ita παραθέγη; Et dixi illis; si rectum in oculis vestris, facite voluntatem meam: & si non, omittite: fecerunt ergo voluntatem meam viri

C

pauci.

pauci. Atqui nihil quicquam in textu Prophetæ est de facienda voluntate Domini: sed quia Paraphrastes putavit, dare Jehovæ mercedem ipsius, nihil aliud esse, quam facere voluntatem ipsius, idèò sic etiam reddidit. Et quia triginta argentei exigua mercedis summa est, idèò reddidit per Viros paucos, qui voluntatem Domini fecerunt. Quod porro Propheta vers. 13. habet; Et dixit Iehova ad me; Projice illud ad figulum; magnificentiam scil. pretij, quo dignus habitus sum de super illis: accepi itaque triginta, (nummos) argenti, ac projeci illud in domum Iehovæ ad figulum: Ionathan hac paraphrasi transtulit; Et dixit Dominus mibi; scribe memoriale operum eorum in membranam scriptoriam, & projice illam in domum sanctuarij: projice, inquam, sub manum Thesaurarij (templi), pro eo, quod pretiosum reddidi timorem mei in oculis eorum: scripsi itaque memoriale operum in membrana scriptoria, & projeci illam in domum sanctuarij Domini sub manum Thesaurarij magni. Et adduxi Nebucadnezarem Regem Babelis super Zedekiam Regem tribus domus Iudeæ, & captivos feci abducere illum, proprieà quod immutarunt fœdus etiam iij, qui de domo Iudeæ erant, quemadmodum fratres eorum, domus Israëlis. Plura Paraphrastæ exempla hīc addere nec opus est, nec institutum nostrum permittit; præsertim cùm passim in Prophetis & ipso nostro Sacharja occurrant plurima.

§. 9. Si tantum licuit Paraphrastæ Ionathani: cur non simile quid licuerit Evangelistæ Matthæo, vel ipsi potius Spiritui Sancto? neque enim tantum sibi sumvit licentia ad exprimendum verum sensum: quantum sibi sumvit Ionathan in exprimendo falso, quem verum sibi imaginatus est, sensu Prophetæ nostri. Quod si verum est, quod ferè Judæi dicunt, Ionathanem Chaldæum Interpretem ante tempora Christi vivisse, ejusmodi paraphrasis scripturæ jam tempore Matthæi Evangelistæ non inusitata fuit. Optimè vero se jam habet paraphrasis Evangelistæ. Nam I. Propheta noster in versu 13. loquitur concisè, quando Iehovam Patrem ait ad Iehovam Messiam dixisse; projice illud ad figulum; iterumque Messiam; Projeci itaque in domum Iehovæ ad figulum: pro, Projice illud, & da figulo; item, projeci itaque illud, & dedi figulo. Quod B. Lutherus optimè observavit; ideoque reddidit; Wirsing hin / das dem Döps-

Töpffer gegeben werde / item , und ich nahm die dreissig Silberling / und warff sie ins Hauss des Herren / daß dem Töpffer gegeben würde . Ubi Messias jubetur quasi duplēm sustinere personam , & sustinet etiam : unam , personam Judæ proditoris , projicientis triginta argenteos , proditionis pretium , in templum Domini ; alteram , personam sacerdotum Judæorum , sumentium triginta argenteos , eosque dantum figulo , pro agro ipsius . Quemadmodum itaque Messias , sumens triginta argenteos , & dans figulo , induit & sustinuit personam Sacerdotum : ita Matthæus in suâ paraphrasi istam Prophetiæ prosopopœiam resolvit , & verba quæ Messias in persona sacerdotum sibi accommodaverat , ipsis sacerdotibus attribuit atque applicat , dicens ; Et sumserunt ( Sacerdotes , quorum haecenus personam Messias sustinuit ) triginta argenteos &c. & dederunt eos &c. Atque sic Evangelista Prophetam paraphrasticè simul exponit : quod optimè factum est . In verbis Prophetiæ 2. iis , quæ Evangelista παραγράψει , sumsi itaque triginta ( nummos ) argenti , & projeci illud in domum Iehovah ad figulum , repetendum est ex antecedentibus aliquid h. m. sumsi ergo triginta ( nummos ) argenti illos ( de quibus dixi ; Magnificum scil. pretium , quo dignus habitus sum de super illis ) & projeci illud &c. Hoc supplementum itaque Evangelista supplavit , suæque Paraphrasi inseruit , ut exponeret , quinam sint triginta ( nummi ) argenti , qui sumti sunt ; nimirum , de quibus Dominus in antecedentibus verbis locutus est . Sed quemadmodum Evangelista prius Messiæ exuit personam Sacerdotum , quam induerat , & pro sumsi , posuit , sumserunt : ita non facit porrò Iehovam Messiam loquenter , qui apud Prophetam in prima persona locutus est ; sed de Messia Iehova ipse loquitur , dicitque , Pretium ejus , qui illo dignus habitus est , quem ( illo ) dignum habuerunt à filiis Israëlis : Si Evangelista , non Prophetam , sed ipsum Iehovam , Christum loquentem introduxisset , ita locuturus fuisset Iehovah ; Et accepérunt triginta argenteos , quibus me dignum habuerunt à filiis Israëlis . Unde miramur non parum , quod quidam Interpretes putant , hæc verba ex alio , quam Sacharja , Propheta desumpta esse . Observandum autem est 3. in hoc supplemento , quod τὸ ἀπὸ ιαῦ ἰσραὴλ , stet pro Hebræo οὐ ιαῦν de super iis , vel à super illis ; quod

C 2 apud

apud Prophetam est. Nam apud Græcos τὸ ὑπὸ à vel de super, commodius reddi non potest, & satis emphaticè. Significat autem בָּנֵי יִשְׂרָאֵל remotionem ab officio q. d. quem hoc prelio dignum æstimarunt idè tantum, ut me ab officio pastoris, quod super eos tanquam oves meas habebam, removerent & deponerent. Et pronomen Relativum בָּנֵי refertur ad oves, super quas constitutus erat pastor, hoc est, filios Israëlis: ubi Evangelista pro Pronomine ipsum Nomen posuit, ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, à filiis Israëlis. Non opus itaque est dubitatione, qui-cum construenda sit hæc particula. Qua de re Dn. D. Gerhardus noster, Theophylactus, inquit, particulam illam ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, conjungit cum voce appreciati, quā ratione synecdochikos per filios Israel intelligendus erit Iudas. Fr. Iunius conjungit cum verbo ἐλαβον, accepi: sed concinnius est, si juxta Euthymium subintelligatur vacula τινὲς, hoc sensu, quem appreciaverunt quidam ex filiis Israël, b. e. Israëlite. Hac ratione per quandam relationem ad præcedentia indignitas hujus contrac-tus exprimitur. Filii Israël, b. e. summi Sacerdotes populi Israëlitici capita ac proceres, quos minimè omnium hoc facere oportuit, acceperunt triginta argenteos, precium, quo ipsimet Messiam suum æstimaverant, & dederunt eos in agrum figuli. Sed tanta sollicitudine opus non est, si cum Hebræo textu Evangelistam modò contulerimus. Quod 4. Propheta dixit יְהוָה אֱלֹהִים ad figulum vel pro figulo. Evangelista ex ipso compleemento exposuit, quando circumscriptis, εἰς τὸν ἀγρὸν τὸν κεραμέων in agrum figuli. Sed verba 5. καθὰ οὐ-ταξέ μοι ὁ κύριός, quemadmodum præcepit mihi Dominus, nusquam apud Prophetam comparent in hoc verborum ordine. Unde Heinlius trajectionem facit. Cohærent ergo, inquit, illa, Et accepi argenteos, sicut præscripsit mihi Dominus: quea ipsa Zacharia verba sunt, Apud quem habes קַרְבָּלָה חֲכָמָה וְכָל ἐλαβον τριάκοντα ἀργυρία. Item, καὶ ἔπειται, vel οὐταξέ μοι Κύριός. Que omnia; ut que de precio dicuntur. Et verum quidem est, quod verbis Evangelistæ, καθὰ οὐταξέ μοι Κύριός, respiciatur aliquo modo ad verba Prophetæ; Et dixit Iehova ad me: sed Messias Revelator erat, qui, quid de futuro prædicendum, Prophetæ revelavit: unde quod revelatum est, Prophetæ tanquam Mi-nistro tribui potest, atque hic Evangelista Paraphrasten rursus agit, & hoc vult dicere: istud fecerunt sacerdotes, accipiendo argen-teos,

teos, & dando eos pro agro figuli, ut compleretur id, quod, ut in ipsorum persona ego ficerem, præceperat mihi Dominus. Atque sic non tantum dicit Propheta his verbis Evangelistæ Paraphrasticis, quod sibi Jehovah mandatum dederit faciendi aliquid; sed etiam, quid sibi mandaverit; nempe, ut ficeret prædicendo in persona sacerdotum & principum Judæorum, quod hi aliquando in propria persona impleturi erant. Apparet nisi fallor, ex his, quod egregium Evangelista noster egerit Paraphrasten in allegando Prophetæ vaticinio, laude propterea suâ ornandus, nec ullo modo culpandus. Sed objiciet hic forte aliquis, Evangelistam, si παραφράζει verba Prophetæ voluit, non debuisse dicere; Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, λέγοντος, dicentem; Et acceperunt &c. Tò λέγοντος, dicentem, enim postulare, ut ipsissima Prophetæ verba, non tantum sensus paraphrasticè subjiceretur. Verum enim verò lex hæc nimis imperiosè præscriberetur, & imponeretur. Ad eam namq; haecenus nunquam adstricti fuerunt paraphrastæ. Supra Jonathanem Chaldaeum, ejusq; Paraphrasin super vers. 12. & 13. Cap. XI. nostri Prophetæ Sacharæ adduximus; in quâ his etiam verbis utitur, de Jehovah quidem; Et dixi ad eos; de Prophetæ autem, Et dixit Jehovah ad me, neque tamen ipsa Jehovah verba, sed verborum paraphrasin subjecit. Cur verò non idem Evangelistæ nostro licuisset?

§. 10. Sublatis de medio difficultibus duabus de nomine Prophetæ, & modo allegandi eundem, ad rem jam accedimus: ubi ostendendum, quod eadem de re, quam Evangelista à Prophetæ prædictam dicit, Prophetæ reverè locutus & vaticinatus sit. Judæi itaque I. longè aliud à Prophetæ prædictum esse contendunt, ut fidem autoritatemque nostri Evangelistæ elevent. Quod Chaldaeus Interpres Jonathan putet, sermonem esse de paucitate piorum hominum ante captivitatem Babyloniam; propter quam Dominus adduxerit super regnum tribus Iuda Nebucadnezarem, qui tribum hanc in captivitatem Babyloniam abduceret, sicut fratres eorum decem tribuum in Assiriacam abierant, ex superius allegatis Paraphraseos verbis patere potest. Eam quodammodo tamen explicat R. Salomo hoc modo: Et dixi ad Reges Iudaë residuos, si bonum est in oculis vestris, date mercedem meam, ut seruetis præcepta mea;

mea; quæ erit merces mea pro omni bono, quod dedi vobis, quemadmodum dare solent mercedem pastori gregis; tum revertar denuo & pascam vos: quod si non, omittite, tunc ego etiam non reducam vos. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: Jonathan transtulit; Et fecerunt voluntatem meam viri pauci, nimirum, viri boni pauci fuerunt inter eos, qui fecerunt voluntatem meam, quales fabri & claustrarij, Daniel, Chanania, Mischael & Asarja, & Ezechiel. Et postea: Et dixit ad me Jehovah; projice illud אֶל־הַיּוֹצֵר, quasi אֶל־אָוֹצֵר ad thesaurum. b.e. custodem thesauri: dixit scilicet sanctus benedictus Propheta; scribe & depone istos ipsos, & iustitiam eorum, ut asservetur in finem usque septuaginta annorum captivitatis Babylonicae, ut edificetur sanctuarium per manus eorum. Quis vero est thesaurus? Magnificentia pretij domus sanctuarij mei, quod est magnificentia gloria meæ. Quam קְרָתָה מִלְחָמָה. Abstuli ab ijs, ut non sit illis in decus. Nam verbum קְרָתָה significat ablationem gloria: Mem autem in מִלְחָמָה arguit istud. Hæc R. Salomo. Sed diligenter observandum est, quod ipse scrupulos suos super hac interpretatione habeat. Phrasin tamen, inquit, triginta argenteorum non possum hoc recte applicare, nisi כְּסֵף Argentum significet rem desiderabilem: quomodo etiam Rabbini nostri exposuerunt in tract. Cholin: adduxeruntque demonstrationem ex (Proverb. VII. vers. 20.) Loculum argenti accepit in manum suam. Tò Triginta autem iidem exposuerunt, quod quadraginta quinque iusti sint in omni generatione & generatione; pro quo adduxerunt demonstrationem ex (Hos. III. §. 2.) Et sesqui chomer hordeorum, quindecim nim. in Babel, & triginta in terra Israëlis: unde dictum est; Et accepi triginta argenteos, & projeci illos in domum Jehovæ, in terra Israëlis. Unde vero hi triginta? Medrasch Aggadæ (respondeat:) Quod promissio facta sit Abraham Patri nostro talis, nullam generationem habituram pauciores, quam triginta Justos. Unde probatur? (ex Genes. XV. §. 5.) sic נִין erit semen tuum: נִין enim per Gematriam facit triginta. Et postea: Cæterum Mens Interpretationis, quam dedi, desumpta est ex Thargum Jonathani: vidi præterea multas tamen voces interpretationis Prophetæ hujus: sed non possum applicare eas (ad Textum.) En ingenuam de nugis istis confessionem Rabbini. Non tamen melius quid inventit post eum R. D. Kimchius, cuius hæ sunt annotationes: Date mercedem meam, b.e. Quandoquidem ego pasco vos, date mercedem meam: quæ merces est poenitentia & bona opera. Et appenderunt mercedem

cedem meam triginta argenteos , triginta justi fuerunt inter eos in diebus trium pastorum istorum : ex quibus invenimus Danielem , Chananiam , Mischaëlem & Asarjam , & Jeremiam , & Ezehielem , & Zephaniam : fieri autem non potuit , ut non fuerint inter eos alijs plures , eis si non commemorantur ; en namque scriptum est . Dederunt cadaver servorum tuorum cibum avi cœlorum , carnem sancti tui serra terra . Sic Jonathan translulit : Et dixi illis : si rectum in oculis vestris , facite voluntatem meam ; & si non , omitte : fecerunt ergo voluntatem meam viri pauci q.d. Quidam tantum viri conversi sunt per pœnitentiam . Et porrò : Et dixit Jehovah ad me , Projice illud ad רצח quod interpretati sunt Interpretes , quod idem sit cum אוצר Thesaurus ; eo quod literæ Ehevi inter se permutentur : quomodo significabit Custodem Thesauri . Et sic translulit Jonathan אַפְרִילָא Präfectum Thesauri . Vult itaque dicere per tropum , ut conjungant se scorsim in domo Domini , sequè à populo facientium malum séparent coram oculis Domini . Potuit tamen etiam per tropum dixisse Figulum , juxta illud ; יוצר Fingens simul cor eorum , & intelligens reddens &c. ille enim novit bonos & malos , scrutans cor & probans renes : et si namque se ostentant bonos , non tamen boni sunt . Et accepi : sic vi- sum est illi in visione Prophetica , quasi ille acciperet argentum , & projiceret illud in domum Jehovah ad thesaurarium , sed res ipsa præterierat annis multis ; nam in diebus trium pastorum contigit illa . Vult autem dicere tropicè , quod convenerint boni , & separaverint se à populo , nec comparuerint cum illis in plateis . Atque hoc est , quod dixit Ieremias Propheta , Vagamini per plateas Hierosolymæ , & querite in vicis ejus , num sit vir querens fidem , & condonabo illi , sicut exposuimus in libro Ieremias illud . Quod verò dixit הַיְהּ אֵת domus Jehovah q.d. quemadmodum dixi , Et projeci in domum Jehovah , hoc est , in magnificientiam gloria : statique נָא ad , quod posuit , pro duabus locis . Ejus autem , quod dicit , אשר יקורת משליחת expositio hæc est , honoratus sum à meipso , & recessi ab illis propter malitiam operum illorum . Atque sic translulit Jonathan . Sic etiam Kimchius : qui ergo eadem lyra oberrat . Hanc verò interpretationem de iis , quæ præteritis ante Prophetam nostrum temporibus contigerunt , usque in captivitatem Babyloniam , operosè refutat R. Abarbanel septem argumentis non contempnendis : sed quæ omnia transcribere non licet . Abben-Esra autem , qui ex prudentioribus Rabbinis est , diu ante Abarbanel cum aliis sententiam istam deseruit : quemadmodum Abarbanel annotavit .

§. II.

§. 11. Putat autem Abben-Efra, prophetiam nostram pertinere ad Nehemiam Principem, qui post Prophetam nostrum ex Babylonia, ascendit Ecce, inquit, vidimus, quando ascendit Nehemja Hierosolymam, quod haec fuerit in ignominia constituta, iuxta illud; Moriens moriatur: nunc ergo petit mercedem, ut pascat eos per baculum secundum. Illi auiem triginta argentei forte fuerunt triginta justi, qui venerunt cum eo, vel ministrarunt in diebus Nehemja triginta sacerdotes tum magni & uncti belli, tum eorum vicarij, propterea dictum, projice illud argentum ad sigulum. Scriptum vero est, quod nomen domus Jeboea sit אֶבְיָה, magnificentia gloria &c. Sed nec haec Expositio probatur Abarbaneli. Et certe similes sunt nugae haec nugis prioris Interpretationis: nisi quod ad aliud tempus & homines accommodantur, & male adaptantur.

§. 12. Abarbanel itaque quemadmodum probat, quod prophetia nostra de futuris temporibus & rebus agat; ita bene & acutè magis observat, ad remotiora, quam Nehemiae tempora eam spectare. Sed haeret Rabbi in Ducibus & Regibus Chaschmonæis seu Maccabæis: quos distinguit istis nonnibus, dicitque, quod Mathathiæ filij, Judas, Simeon & Jonathan, fuerint Negidim, Duces & boni pastores gregis; sed qui post ipsos venerint, seipso Reges constituerint, & mali pastores fuerint. Fundamentum ponit in Historia Josephi Gorionida, de quo dicit; Propterea expendi vias meas, & reduxi pedes meos & mentem meam, ut crediderim, quod non dicta sit haec prophetia, nisi super tempus Templi secundi, quod tum adhuc venturum erat. Et sufficiens hic nobis est Josephus, filius Goronis, qui istoc tempore vixit, ut illi innitamus, quantum ad intentionem Prophetæ, juxta id, quod per traditionem habuerunt de generalibus hujus Prophetæ, si maximè non admiserimus ejus expositionem, quod ad specialia sectionis. Sed hoc nimis ruinosum fundamentum est. Et magis ruinosum etiam est, quod ex Talmudicis Doctoribus sumit: ex quibus ita nugatur. Meminit, inquit, Prophetæ, quod ipso opere & facto isti domini gregis (Reges Chaschmonæi) appendenterint mercedem ipsius, triginta argenteos: Dominus autem ipsi præceperit; Projice illos ad Formatorem, ad ostendendum, esse in hoc indicium, quod Chaschmonæi, qui surrexerunt post filios Mathathiæ, loco ejus, quod ipsorum fuisse debitum, ut darent mercedem Domino, præstando ipsi cultum ipsius juxta præceptum ipsius,

ipsius, pessimè egerint faciendo seipso Reges, quod tamen Patres eorum non fecerant. Ubi pridem sapientes nostri monuerunt, quod regnum acquiratur triginta excellentiis; Sacerdotium autem viginti & quatuor excellentiis. Quare triginta argentei, quos appendenterunt Domini gregis, significarunt triginta excellentias regni, quas ex affectatione & desiderio nimio arrogarunt sibi ipsi. Ideoque præcepit Dominus Prophetæ; Projice illos ad formatorem, q. d. projice illos super Dominum, qui est formator & Creator verus, negotium hoc, hoc est, magnificentiam gloriae, quæ est regni indicium; quod מֵעַד קָרְבָּן, q. d. quod auferam & prohibeo, ut non amplius sit super illis. Projice, inquam, super Formatorem, quia ille est Deus judicij. Meminit autem porrò Prophetæ, quod ad constitendum hoc indicium & signum de re, sumserit ipse triginta argenteos, & projecerit eos in domum Domini super Formatorem, hoc est, ante Formatorem mundi. Ubi, quod projectit triginta argenteos, significantes coronam regni, in domum Domini super Formatorem, factum est ad indicandum, quod removendum esset regnum à Chaschmonais, venturumque in manus Herodis, qui futurus esset Formator domus Sanctuarij, edificaturus ejus. Itaque mens τε Projice illud ad Formatorem, hoc vult, quasi dicat, Projice regnum in atrium (templi), ut significet Herodem, qui meriturus est magnificentiam gloriae, hoc est, regnum, quod ablaturus sum à Sacerdotibus. Hoc est, quod mihi visum hac de re est triginta argenteorum & Formatoris. Hucusque ille. Quantæ vero hæ etiam nugæ sunt? Ex quibus omnibus appetet, quod Judæi, quando Prophetiam Sacharjæ alio, quam ad Christum ejusque per Judam venditionem, detorquere conantur, nullam planè solidam ejus expositionem hodieque habeant, aut inventire possint.

S. 13. Neque adeò hoc in Judæis mirandum est eorumque obstinata cervice: magis mirandum potius est, quod ex Christianis Interpretibus sint, qui Prophetiam aliorum etiam suis interpretationibus abripere non erubescant. Ex quibus Hugo Grötius est, qui ad hunc locum annotat: *Hoc Zacharia in viso ostensum putat Maimonides, & sequentia quoque in viso expleta per Zachariam.* Hoc dicit: Operam pastoralem exhibitam per annos quingentos, (tot enim fermè sunt ab exitu ex Ægypto ad finem Salomonis) estimarunt XXX. Siclis, id est, pretio iniquissimo. Opera diuina estimatio erat denarius, ut ex Evangelio etiam discimus. Is non mul-

tum excedit drachmam Atticam: quatuor drachmæ Atticæ sicut faciunt: ergo centum & viginti, aut paulò amplius diebus poterat aliquis ex operis suis lucrari XXX. s. c. Vides iniquum estimationis pretiū. Moratur in comparatione pastoris. Viles hæc merces significat viçimas & ritus sine pietate solidā. Hæc Grotius. apud quem vide, quæ sequuntur; & quæ contra eum disputat Dn. D. Calorius h. l. Gasparus Sandius in h. l. Quatuor Prophetæ expositiones producit, quibus mercedem vilem prophetæ pro laboribus ejus reprehendi existimat: nisi quod in ultima demum, bonum ac sollicitum pastorem Zachariam figuram facit ejus pastoris, qui postea venditus est à proditore Juda, ut verba illius habent. Sed quid de omnibus istis expositionibus sentiendum, ex verbis ejus, quibus eas claudit, intelligi potest. Has, inquit, expositiones adduxi, in quibus, si audacius egisse videor, cam sine duce pergam, facilem credo veniam obtinebo: cum obscurus sit locus, & valde celebris, cui aliquid attulisse lucis, si modo id alicui contingat, magnum est opera atque studij premium. Ex ys eligas, quam malueris, nisi omnes rejiciendas putaveris: nam mibi promtum non est statuere, quænam illarum ceteris præferenda sit. Sic ille. Nos verò ex libertate, quam nobis ipse concedit, nullam expositionum, quas adduxit, approbandam esse existimamus. Plures aliorum Interpretum sententias adferre nolumus: cum nec institutum nostrum id permittat.

¶. 14. Manendum esse, quantum fieri potest, in litera, regulæ bonæ Interpretationis præscribunt. In verbis vero Prophetæ contineri prophetiam de futuris temporibus, etiam potiores Judæorum Interpretes agnoscent. Cur ergo Christiani id negarent meritò, & vel in persona Prophetæ hærent, vel ad antegressa tempora referrent? Diligenter autem de complemento, si quod congruum inveniatur, dispiciendum est: cum Prophetæ, obscuriores in primis, non melius, quam ex complementis earum intelligi, & explicari queant. Jam vero complementum in Novo Testamento apud Evangelistam Matthæum inveniri, saltem in Antitypo, omnes Christiani fateri coguntur ob expressam Evangelistæ allegationem. Rectissimè itaque Nostrates Theologi faciunt, qui complementum hoc Novi Testamenti cum prædictione Veteris Testamenti ita conferunt, ut mutuò se invicem explacent.

cent. Quam viam nos quoque ingressuri, utrumque locum, sed breviter, juxta verba Evangelistæ considerabimus.

§. 15. Notandum itaque 1. est, quod Evangelista Matthæus verba, quæ ex libro Sacharjæ citat, ipsi Prophetæ tribuat, cum dicit; *Tunc impletum est, quod dictum dñi Iezechielis τοῦ προφήτου λέγοντος; per Jeremiam Prophetam, dicentem; καὶ ἔλαβον, & acceperunt &c.* At ipse Sacharja Propheta introducit diversas personas, Jehovæ Messiæ, Judæorum, sacerdotum in primis & principum eorum, & Jehovah Patris. Jehovah Messias alloquitur Judæos, in primis sacerdotes eorum: hic namque est, qui dicit vers. 12. *Et dixi ad eos; si bonum in oculis vestris, date mercedem meam &c.* Jehovah Pater vero est, de quo Jehovah dicit, locutum esse secum, & jussisse, argenteos projicere: *Sed dixit, inquit, Jehovah ad me; Projice illud ad figulum.* Idemque tandem dicit, se projecisse: *Accepi itaque, inquit, triginta argenteos, & projeci illos in domum Jehovah ad figulum.* Quod ergo Evangelista Prophetæ Jeremiae seu Sacharjæ, tanquam loquenti, tribuit: id se fecisse dicit apud Prophetam Jehovah Messias. Ubi notandum est 1. quod sit apud Prophetam revelatio futurorum, & prædictio divina: in quâ nihil protinus refert, siue Deus revelans sibi verba vel facta tribuat, sive Prophetæ, cui revelatio fit. Ratio in promtu est; quia, si maximè Prophetæ loquatur vel faciat quid ex mandato vel instinctu Dei revelantis, verbum tamen vel factum principaliter Dei revelantis est. Sic hoc loco Jehovah Messias, qui futura Prophetæ Sacharjæ revelat, dicit quidem ipse; *Et dixit Jehovah (Pater meus) ad me; Projice istud &c.* Ego ergo accepi triginta (nummos) argenti, & projeci &c. Sed si dixisset ad Prophetam; *Tu ergo accipe triginta (nummos) argenti, & projice illud &c.* Et Prophetæ pergeret; *Accepi ergo &c.* perinde esset. Notandum est 2. quod aliquando aliquis, Deus vel Prophetæ, locutus aliquid dicitur, non quod reverâ locutus sit, aut locuturus; sed res ipsa facta vel futura: contrâ verò aliquis fecisse aliquid dicatur vel facere, quod alias fecisse vel facturos esse prædictit. Verissimum hoc esse, agnoscere coguntur etiam Rabbini. Sic R. Abarbanel hunc locum Sacharjæ ita exponit, quod non futurum esset ejusmodi colloquium, in quo quis diceret

D 2

Judæis;

Judæis; *Si bonum est in oculis vestris &c.* Sed rem sic futuram esse, gestumque iri, quasi per colloquium ejusmodi & ex composito sic gesta esset. Sic Iesa. VI. Deus revelator ad Prophetam Jesaiam dicit; *Abi, & dic populo huic, audiendo audietis &c.* *Impingua cor populi hujus, & aures ejus agrava, & oculos ejus obline, ne videant fortem oculis suis &c.* Quibus verbis videtur Deus Revelator Prophetæ imperare facta; quæ tamen prædicere tantum debebat, quod alij facturi essent, hoc est, ipse populus Israëliticus, cor proprium impinguando &c. Sic ergo apud nostrum Sacharjam, qui dicit; *Et accepi triginta (nummos) argenti &c.* non dicit, quid ipse vel fecisset, vel facturus esset: sed prædictit, quid alij facturi essent, nim. Principes & Sacerdotes Judæorum: quibus propterea etiam Evangelista Matthæus tribuit, cum ait, Prophetam de ijs prædictissimam; *Kαὶ ἐλα-βον τὰ τριάκοντα ἀργυρία, Et sumserunt triginta argenteos.*

§. 16. Jam II. Evangelista Matthæus rectissimè *triginta argenteos*, qui apud Prophetam Sacharjam sunt, ad literam accepit, vertitque *τριάκοντα ἀργυρία*. Supra namque jam indicavimus, boni esse Interpretis, tamdiu in litera scripturæ manere, quamdiu à literâ discedendi necessitas manifesta non adfuerit aut constiterit. Præterquam, quod Evangelista, interpres divinitus inspiratus, nos docet, imò obligat, ut cum ipso in litera maneamus, nec ullo modo ab eâ discedamus. Imò verò etiam absurdè à literâ disceditur. Judæi namque, ut suprà habuimus, per *triginta argenteos* intelligunt *triginta Justos*. Nonne verò *triginta* in sua proprietate relinquunt, *argentum autem tropicè accipiunt?* Et cur *Justi* non aurum potius, quam argentū dicuntur? *Chaldaæ Interpreti* *triginta argentei* sunt *justi pauci*. Ubi verò usquam in Scriptura *triginta* idem sunt, quod *pauci*? *Grotio* & alijs *triginta argentei* sunt *vile pretium & vilis aestimatio*: atqui prout res se habent, *triginta argentei* & *magnum & vile possunt esse pretium & aestimatio*. Et licet sæpè numerus finitus pro infinito tam in sacris, quam profanis scriptis usurpetur; usus tamen hic simul consulendus est. Sic *sexcenti* apud Latinos sunt numerus finitus, qui pro infinito poni solet. Atqui *septingenti* vel *quingenti &c.* non ita usurpantur. *Quare?* quia usus non ita habet. Ubi ergo usus, quæso,

quæso, habet, ut *triginta*, numerus finitus, ponatur pro paucis, numero infinito; adeoque pro re vili? Ipse *Grotius* ridiculè satis, ut *triginta* tamen tandem siclos nanciscatur, mercedem diurnam denarium facit, & per annos populi Israëlitici, inde ab exitu ex Ægypto, multiplicat. Quare talia relinquamus.

§. 17. Dicit III. Evangelista noster, *τιμὴν*, quod ipsi hoc loco sine dubio *pretium*, non honorem gloriamque, significat. Sunt namque, quod manifestum satis est, τὰ τριάκοντα ἀργυρία, *triginta argentei*, per Appositionem, hæc ipsa *לְוִיָּה*; qui certè *pretium* sunt. Apud Prophetam Sacharjam hæc *לְוִיָּה*, *pretium* dicitur רַב יְהֹוָה, cum quo conjungitur alterum nomen אֶדֶר Eder, quod magnificientiam significat. Ubi Judæi malunt רַב יְהֹוָה, significare gloriam, & intelligendum esse vel Sanctuarium seu Templum Dei, quod populi Israëlitici gloria fuerit, & in quo Gloria Dei habitaverit, vel coronam Regiam seu Regnum. Sed רַב יְהֹוָה, gloria, nusquam de Templo Dei usurpatur: neque etiam *Gloria Dei*, quæ in eo habitabat רַב יְהֹוָה, sed כָּבוֹד Kabod, *Gloria*, vocabatur. Præterea facile appareat, quod Interpretes eò deveniant, quia *triginta argenteos* in suâ proprietate pro vero *pretio* non accipiunt. Quos si pro vero *pretio* aut mercede acceperimus: quæ, quæso, ratio esse potest, quare non רַב יְהֹוָה, quod alias notat, pro *pretio* non habebimus? In primis cum in antecedentibus Prophetæ verbis שְׁכָר Merces etiam dicta sit. אֶדֶר, magnificientiam, communiter ferè Interpretes ironicè dici putant, & *pretio addi*, quod nimis vile & indignum fuerit: magnificientiam *pretium* seu *magnificum pretium*, hoc est, minimè *magnificum*. Hoc verò omisit Evangelista, quia rem ipsam, quæ *pretium* est, non significat, sed rei tantum Epitheton est: sicut apud Hebræos duorum substantivorum alterum pro Epitheto est: unde & hic per Adjectivum ferè solent reddere, *magnificum pretium*. Neque conveniens erat, ut Evangelista retineret; cum enim, ut mox dicemus, Jehovah Messias ironicè & antiphraesticè loquatur apud Prophetam; Evangelista autem personam primam in Tertiam mutaverit, locutio ejus ista cessavit.

§. 18. *Pretium IV*, Evangelista porrò describit, ita, ut addat,

addat, pro quo illud dátum sit: *prétium*, inquit, *τέ τε πονηρόν*,  
 ἐπιτίνακτο ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, hoc est, *prétio emti*, quem *prétio eme-*  
*runt à filiis Israëlis*. De quibus verbis suprà jam diximus, quo-  
 modo ex Prophetā Sacharjā desumpta, & mutata loquentis  
 persona ab Evangelista suo stylo adaptata: nec prolixius il-  
 lud docemus hic, aut probamus. Certè quando Evangelista  
 dicere voluit, quod Sacerdotes Judæorum triginta argenteos  
 sumserint, & pro figuli agro dederint, necesse etiam habuit di-  
 cere, cujusmodi illi argentei fuerint: non potuit autem me-  
 lius dicere, quam verbis, quibus ipse Prophetā, vel Messias  
 apud Prophetam de se usus est, quando dixit; *Magnificum scilicet* *prétium*, quo dignus habitus sum *seu estimatus*, à super illis; nisi  
 quod, ut modò diximus, stylo suo adaptavit. Et Evangelisti-  
 tam quidem per hunc *τέ τε πονηρόν*, *prétio emum* *seu estimatum*  
 intelligere Meissiam seu Christum, indubium est. Sed hoc of-  
 fendit multos, quomodo hæc verba apud Prophetam de Jeho-  
 va Messia accipi possint, cum Jehovah ea de se vel ad Proph-  
 etam, vel ad ipsum Messiam locutus sit; sicut dicitur; *Et dixit*  
*Jehovah ad me*; *projice illud ad sigulum, magnificentiam pretij*, quo di-  
 gnus habitus sum à super illis. Ubi Dn. D. Calovius scribit; *hæc ver-*  
*ba indignationem Christi exprimere*, quod instar viliissima personæ ipsum  
 vendituri sint. Num vero existimet, verba, quo dignus habitus sum,  
 Deum Patrem, an Messiam, de se dicere, nobis quidem non  
 satis constat. Qui Dominum h. e. Christum hæc verba ad  
 Prophetam dixisse existimant, haud difficulter se expedient,  
 dixisse Christum verba ista de seipso ad Prophetam. Sunt, qui  
 Deum Patrem quidem putant hæc verba ad Christum de seipso  
 loqui, sed ut sibi, quod Christo factum est, appropriet, q. d.  
 quo non tu tantum, mi Fili, sed ego ipse etiam dignus habitus sum. Ve-  
 rumentim vero nos hæc verba putamus Christum de seipso  
 dicere, ad exponendum pronomen, quod in verbis Dei Pa-  
 tris habetur, cùm dicit; *Projice illud ad sigulum*; nimirum Deum  
 Patrem respexisse per illud, *Magnificum illud pretium*, quo ille di-  
 gnus habitus fuerit, q. d. Et dixit Jehovah Pater meus, ad me; *projice*  
*illud ad sigulum*, significans mihi, *magnificum scilicet pretium*, quo di-  
 gnus habitus sum, h. e. triginta argenti nummos: *accepi itaque illos ipsos*  
*triginta argenti nummos* &c. Ita nulla mutatione personarum, aut  
 appro-

appropriatione verborum opus erit. Qui existimant, Evangelistam allegare verba Jeremiæ, Chilkijæ filii, Prophetæ per traditionem accepta, ab ipso in Canonem relata: id videntur propterea maximè facere, quia hæc verba, τὸν τεμὴν τῆς τετιμηένα, ὃν ἐπιμήσαντο ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, secundum literas & syllabas apud Prophetam Sacharjam non reperiantur. Atqui Dn. D. Calovius, qui eandem sententiam ad Matth. XXVII, probat, fateri tamen cogitur, quod similia Sacharja habeat. *Etsi, inquit, non diffiteamur, similia eundem scriptura autorem spiritum quandoque diversis Prophetis inspirasse, prout nempe ipsi placuit, quomodo dictum hoc Jeremias ex parte à Zachariâ repetitum.* Quo nos certè contra istam ipsam utimur sententiam. Si namque à Sacharja repetitum, adeoque jam tum in Canonem relatum est: quid opus est dicere, per traditionem ad Matthæum usque illud pervenisse, & per hunc demum à Spiritu Sancto in Canonem relatum esse? Et eo majori jure hoc urgemos, quia nihil, saltem quoad sensum, apud Matthæum est, quod apud Sacharjam non deprehendatur. Ita suo jam loco ostendimus, verba hæc Matthæi Evangelistæ, τὸν τεμὴν τῆς τετιμηένα, ὃν ἐπιμήσαντο ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, nihil aliud esse, quam paraphrasin verborum Prophetæ Sacharjæ, *Magnificum pretium, quo dignus habitus sum à super filii Israëlis.* Cùm enim cuiusmodi fuerint triginta argentei, quodque illi ipsi sint, quibus venditus & emitus est Christus à Juda proditore, describere voluisset, ex ipsis Sacharjæ Prophetæ verbis id sumfit, esse illos pretium illius τετιμηένα, estimati pretio, quem pretio emerint à filii Israëlis; sicut apud Prophetam ipse dixerit; *Magnificum pretium, quo dignus habitus sum à super illis.* Si hæc Prophetæ verba Græcè reddenda sint, nonne optimè sic reddiderimus illa; τὸν τεμὴν, ὃν ἐπιμήσαντο με pretium, quo me dignum estimarunt aut habuerunt? Quomodo tandem verba ἀπὸ γὰρ Ἰσραὴλ, à filii Israëlis, intelligenda sint, suo etiam loco jam indicatum est, ex Hebræo Prophetæ Sacharjæ, qui habet, Καὶ ὑμῖν à super illis, hoc est, ut non essem amplius super illis (ovibus meis) Pastor. Oves namq; hæc, quas Christus pavit, sunt filii Israëlis, quos pavit Christus doctrinā suā. Ex quo simul apparet, quod pretium hoc non datum sit in mercedem promeritam à Pastore, sed in mercedem proditoris, cuius ope Pastor Christus ab officio suo dejiceretur.

§. 19.

2.  
7.  
3.  
2.  
4.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.

§. 19. Sequuntur. V. Verba apud Evangelistam Matthæum, καὶ ὕδωρ ἐντὸς τὸν ἀγρὸν τῆς κεραύνου, & dederunt ea in agrum figuli: circa quæ ut prolixiores non sumus, facit, quod supra etiam de iis aliquid dictum est; evolvi per ea concus Prophetæ Sacharjæ sermonem ab Evangelista, tanquam optimo Paraphraste sensum egregiè exprimente. Nam quod apud Prophetam dicitur; Projice illud ad figulum, & iterum; Et projici illud in domum Jehovah ad figulum: Evangelista expōnit per, ὕδωρ ἐντὸς τὸν ἀγρὸν τῆς κεραύνου, Et dederunt illud in agrum seu pro agro figuli. Qui certè etiam apud Prophetam sensus est: neque enim locus significatur in quem projiciendi sint argentei, sicut Grotius quidem, qui hinc fecit figurinam, & porrò aream figuli, existimavit; sed persona indicatur, cum qua pro argenteis agendum contrahendumque aliquid, non vasorum fictilium (quid namque hic cum vasis fictilibus pro tot argenteis emendis rei aut negotii est) sed terra seu agri, unde ille suam pro vasis fictilibus faciendis argillam sumere solebat. Vulgati Statuarius, quem ille hīc loci pro figulo posuit, nullum prorsus meretur locum; & meritò à Grotio etiam, qui aliās illius patronus est, correctus est.

§. 20. Verba VI. restant apud Evangelistam, καθὰ οὐρέται μοι ἐκ τοῦ ποταμοῦ, Quemadmodum præcepit mihi Dominus. Quæ quamquam in Propheta Sacharja non extant, quomodo tamen ex ejus verbis & sensu recte ab Evangelista sumta sint, suo loco jam exposuimus. Commune est, quod non videtur negari posse, id, quod causa principalis loquitur, facitque, causæ ministeriali. Unde quod Jehova Pater Jehovæ Filio, Christo, apud Prophetam Sacharjam dixit; sicut hujus verba habent, Et dixit Jehovah ad me: commune etiam est causæ ministeriali, Prophetæ, ut in verborū paraphrasi dicere possit; Quemadmodum præcepit mihi Dominus, & Evangelista paraphrastes hæc verba illi tribuere potuerit. Revelatio Prophetæ nostro facta est per modum colloquiū negotiique Dei Patris cum Christo, & Christi cum Iudeis: quibus verò actum non est aliud, quam ut mandatum daretur Prophetæ, quid ille prædicere de futuris rebus & temporibus deberet: unde omnino recte potuit dicere; quemadmodum præcepit mihi Dominus.

§. 21. Prædicta itaque est à Propheta Sacharia venditio Christi Salvatoris generis humani, postquam ad populum Judaicum missus est, huicq; dulce suum Evangelium prædicavit. Cujus verbis idè etià Evangelista Matthæus historiam venditionis ob-signavit. De qua Christi Salvatoris venditione ex utroque, Propheta & Evandista, sequentia de promisso Porismata I. Venditio Christi, qua à Iuda proditore Sacerdotibus & principibus Iudeorum venditus est, ab æterno fuit præcognita. Ita nimurum hæc venditio Christi fuit præcognita, ut, quemadmodum D. Apostolus Petrus dixit de ipso, quod sit ἀμνὸς ἀμνῷ καὶ ἀσπίᾳ, προεγνωσμένῳ πρὸ καταβολῆς νόσου, φανερώσεις δὲ ἐπ' ἔχεται τὸν χέρων, Agnus immaculatus & incontaminatus, præcognitus ante fundationem mundi, revelatus autem sub extrema tempora: ita de venditione ejus proditoria dicere etiam queamus, quod præcognita fuerit ante fundationem mundi, manifestata autem demum sub extrema tempora. Probat hoc divina prædictio: quam tanquam certissimam, & suo tempore adimplerat allegavit D. Matthæus Evangelista, dicens, factam illam esse, ut impleretur τὸ ἁγίου Διατελεῖσμα τῆς προφητίας, quod dictum est à Jeremia Propheta. Deus autem, qui eam tempore Jeremiæ seu Sacharjæ annis plus quadringentis, antequam impleretur, præcognovit, præcognovit eandem etiam ante mundi fundamenta: hoc est, ab æterno.

§. 22. Porisma II. Venditio Christi non tantum à Deo Patre fuit ab æterno præcognita; sed etiam ab ipso Christo; qui propterea cum Deo Patre verus Deus est. Nam Christus est ὁ τελιμηνός, ὁ επιμονός, pretio emitus, quem pretio emerunt seu estimarunt; sicut Matthæus Evangelista eum vocat. Hic autem τελιμηνός pretio emitus seu estimatus est is, qui a iud Prohetam Sacharjam dixit; si bonum est in oculis vestris, date mercedem meam. Atqui apud Sacharjam dicere jam non potuisset, date mercedem meam, prædicendo, datam eam iri tempore Matthæi Evangelistæ, nisi eam futuram post aliquot secula præcognovisset. Quod si istoc jam tempore præcognovit, cum nullus adhuc esset proditor seu venditor, nulli ementes, præcognovit utique etiam ante fundationem mundi. Hinc verò patet jam etiam, quod Christus verus cum Deo Patre Deus sit. Si enim cum Deo Patre suo venditionem sui, tempore Matthæi factam, non tantum

E tempore

tempore Saharjæ Prophetæ, sed ante etiam fundationem mundi præcognovit, fuit certè etiam ante mundi fundationem verus cum Deo Patre Deus. Unde etiam apud Prophetam toties Jehovah appellatur.

§. 23. Porisma III. Venditio Christi, tūm à Deo Patre, tūm ab ipso Christo præcognita quātum est ab aeterno; non tamen absolute prædeterminando aut necessitando homines ad vendendum & emendum illum. Est hoc contra Auctores quoscumque absoluti decreti & prædeterminationis. Contra quos bene ad Sachar. XI. Dn. D. Calovius scribit: ne autem quis censeat, Deum voluntatem humanam ita flexisse, ut Judas proderet, Judai emerent Christum, notandum, nihil aliud innui, quam voluntariam Christi passionem, & quod permisit sui venditionem: ( quando scilicet dicit; si bonum in oculis vestris, date mercedem meam: si non, omittite.) Qui etiam bene id obserasse dicit Coccejum scribentem: Christus volens permisit à Iuda eam proditionem fieri. Certè si quis ex verbis Prophetæ, vel Christi potius, si bonum fuerit in oculis vestris, date mercedem meam; si non, omittite, absolutam aliquam Dei voluntatem, aut prædeterminationem humanæ voluntatis concludere voluerit: neque quid conditionalis locutio valeat, neque quid phrasis, bonum esse in oculis alicujus, sibi velit, neq; quid contrarii concessio importet, attendere dicenduserit. Conditionalis enim nil ponit in esse: multò minus necessitat aut cogit. Bonum esse in oculis alicujus, nihil aliud vult, quam rem alicui liberam esse, prout ipsi visum fuerit. Contrarii etiam concessio infert simul, ad neutrum contrariorum hominem obligatum aut constrictum. Atqui, inquis, si Sacerdotes Judæorum omisissent à proditore Juda Christum triginta argenteis emere, impeditum fuisset opus redēptionis hominum, quod tamen fieri oportuit. Sed non omissuros præscivit Dominus: & si non præscivisset, sapientia ipsius invenisset tamen modum, quo siue illis opus redēptionis hominum perficeretur; quemadmodum sine illis Christus in monte oliveti passus est.

§. 24. Porisma IV. Argenteos triginta, pro quibus Christus venditus est, sive mercedem sive pretium vocaverimus, non referet; modo commode vox utraq; accepta fuerit. Apud Prophetam Sacharjam duæ voices extant; una שְׁכָר Sachar, quæ mercedem mercenarij vel laboris denotat; altera יְהִקָּר Fekar, quæ pretium notat. Sunt Interpretes,

qui

qui apud Prophetam nostrum **וְשָׁבַר** Sachar, Merces, in bonam partem accipiunt, ut sit merces pro laboribus debita. Ex quibus est etiā Dn. D. Balduinus apud Dn. D. Caloviu in Sach. XI. Hæc enim est ejus super verba Prophetæ, Date mercedem meam, explicatio: *Frustra me apud vos laborasse video: officio igitur meo discedo: quod si boni estis, date mihi mercedem meam, qua dignus est quilibet operarius: si vero pro obstinata animi vestri malitia debitam mibi mercedem dare recusatis, sciatis, me hoc non curare: quia vero conscientia id à vobis fiat, ipsi videbitis.* Ipse vero Dn. D. Calovius mavult **שָׁכַר** Sachar h. I. nihil aliud esse, quam pretium triginta argenteorum. Et dixi, scribit, ad eos, si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, rectius pretium meum, & si non libuerit, quiescite: de sui venditione per Judam facta vaticinatur. Et postea: *Et appenderunt mercedem meam, rectius pretium meum ( quo estimatus sum a Judæis, numerantque proditori Judæ illud pretium ) videlicet triginta argenteos.* Sed quodammodo conciliari potest utraque sententia. **שָׁכַר** Sachar, Merces, quænam sit, ex voce **רָקִים** Jekar, quæ pretium Prophetæ significat, intelligitur. Ubi si **שָׁכַר** Sachar, usquam pretium etiam significaret, promptum esset hic quoque in eâ significatione accipere: sed exempla defunt. Putamus tamen, denotare vocem id, quod loco mercedis datum est, malum pro bono, hoc est, pretium venditionis nefariae: quæ res indignissima & impiissima est q. d. *Date egregiam scilicet mercedem meam, hoc est, venditionis pretium, quod pro eo, quod mihi mercedem dare deberetis, dabitis proditori meo.* Potest vero etiam hoc pretium venditionis dici merces respectu Judæ proditoris: quod **μισθὸς ἀδίκων**, mercedem injustitiae Apostolus Petrus vocat. Act. I.v. 18. Quomodo suffixum **שָׁכַר** Sechari, non activè accipiendum erit, h. m. mercedem meam h. e. mercedem, quam ego promerui; sed passivè, h. m. mercedem mei, h. e. mercedem proditori meo pro me vobis prodito dandam. Passivè namque se Christum hoc loco habere, discimus vel ex eo, quod mox subjicitur; **אֲשֶׁר יְהֹוָה** quo dignus habitus sum.

§ 25. *Porisma V. Christus ex singulari divina providentiâ à Judæ proditore venditus, & à Sacerdotibus Judæorum emitus est in verum pro toto humano genere sub peccatum venditiō sacrificium.* Singularis utique divina providentia agnoscenda est. Et Nostriates etiam Theologi, quanquam absolutam Dei voluntatem & decretum non agnoscent, singularem tamen divinam providentiam non tantum DEI Patris, sed etiam DEI Filii, Christi,

sti, venditionem sui revelantis & praedicentis, apud Prophetam nostrum observant. Ita namque Dn. D. Calorius ad Prophetam annotat: Projecisse autem ipse ( Christus ) dicitur premium sui, quod ita direxerit animum Iudee, ut quod impiè à Iudeis sumferat, in templum proficeret, atque illud in usum figuli cederet, ut pro agro in sepulturam peregrinorum daretur, quemadmodum historia passionis docet. Cum Judas cuperet argentum in usum suum convertere, & Sacerdotes malent ad se recipere, tamen Christum, quāquam in summa exinanitione coram Pilato consistente, adegisse Judam sua omnipotentia, ut mercudem iniustitiae redderet, & Sacerdotum animos permorisse, ne thesauro templi adponerent, verum agrum figuli emerent, dicit etiam Dn. D. Tarnovius noster. Dixit Jehovah Pater Jehovah Filio; Projice illud ad figulum: dixit Jehovah Filius, Christus; Et projeci illud in domum Jehovah ad figulum; uterque praedicens, quid sub sua providentia & sapientissimâ directione futurum esset. Notum porro est, quod pecunia in templi Hierosolymitanis thesaurum, Korban propterea dictum, à piis Iudeis collata fuerit, ut ex pecunia ista sacrificia emerentur, in primis quotidiana. Nos quidem non dubitamus, quin triginta argentei, pro quibus Judas Christum vendidit, ex isto templi thesauro à Sacerdotibus sumti sint. Unde & Iudas in templum illos reportavit & projectit: Sacerdotes autem in thesaurum eundem pro sacrificiis emendis reponere dubitarunt, quia tamen in usum pium collata fuerat, in usum pium sepulturæ peregrinorum adhibere voluerunt. Sic Christus, ut alias pecora sacrificia, in sacrificium à Sacerdotibus emtus; & eâ quidem pecuniâ, quæ sacrificiis emendis maximè destinata erat, emtus est, ut typus sacrificiorum ceremonialium hac etiam in parte impleretur, & deinceps aboleretur. Hoc nobis magis placet, quam venditio in servum, de quâ alii interpres hinc cogitant.

§. 26. Porisma VI. Piè dicitur, triginta argenteis, quibus Christus in verum pro humano genere sacrificium venditus & emtus est, ideo divina providentia agrum figuli in sepulturam peregrinorum emtum esse, ut significaretur non esse deinceps opus aliorum sacrificiorum ceremonialium emione & oblatione, sed operibus caritatis & misericordie. Juxta illud nimiruma, quod Christus Pharisæis praedixerat; Abeuntes vero distite, quid sit; Misericordiam volo, non sacrificium Matth. lX. v. 12. Beatus fuit, quisquis in agro hoc sepeliendum intellexit, quietem sibi dari beatam in eo agro, qui pretio, quo sanguis Christi Salvatoris venditus est, emtus est. Quidam hic solliciti sunt, quomodo tam vili pretio triginta argenteorum emi potuerit: Unde libras, quam argenteos, imò & talenta malunt. Quasi nimirum & quantitatem & qualitatem agri situmque exactè noverint. Quid vero: si forte ager figuli fuit effossa argilla & sterilis & possessoris opificio inutilis; adeoque vilissimi pretii, ut ejusmodi agri figurorum tandem fieri solent? Quare curam istam curiositatib[us] illorum relin-  
quimus, & sic finimus, dicentes;

SOLI DEO GLORIA.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn788082353/phys\\_0041](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788082353/phys_0041)

DFG






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn788082353/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788082353/phys_0043)

DFG





the scale towards document

(9)

## RESPONSIO I.

galitia M. Joachimi Langii ex Tom. II. Anti-Barbari

Prefatione demonstrata, castigatur.

atio Langiana Tomo II. Anti-Barbari præmissa, nihil aliud, ma criminacionum continuatio, vel potius supplementum, omisæ sunt. Quod ut non solum solide demonstrem, sed am, quam in Schediasmate Academico §. 7. pag. 10. dedi, cessitas exposcit, justissimaque insimul causa, quæ pro Celesto Dresdensi DN. D. VAL. ERN. LOESCHERO, quem ini- aus Langius est aggressus, propugnat. Cum vero me bre- t, potiora tantum Praefationis loca si examini subjecero, ea- ito confutavero, in meliorem B. L. interpretabitur partem. Prefat. contra Meritissimum Theologum DN. D. LOESCHE Langius: Ne cujus vero temeritatis aut præcipitanterie in es argui, viam invenisti, utinam tam felicem, quam facio- versus me disputatorem aliquem (indignum, qui hic nomi- ensi solo natum, & a te Wittenbergæ ad tua Domini bel- formatum. Gratias ego tibi, mi Langi, persolvo maximas, eum, Sectæ Pietistarum addictis quam maxime invisum ac fferis, ejusque nullam feceris mentionem. Gratulor enim inter gaudèo, illud non reperiri in ejusmodi scripto, quod non solum honestissimam magnorum Vitorum famam lœ- avissimis erroribus est refertum, in sanctissimum Dei verbum ri Ecclesiæ perniciosis. Non sum ambitiosus, neque verbo- capior, multo minus Pietistarum scommatibus moveor, sed quæ vera sunt, veritas licet odium pariat, mihiique permul- nicos, in furorem ferme actos, quibus vero ad unum o- mentem appreco, quæ veritatis pariter atque pacis studio- cur doleam, quod non solum Argentorati, Ducibus Cele- Ecclesia puriori immortali cum laude promeritis, DN. D. b. m. DN. D. WAGNERO, DN. D. HARTSCHMIDIO, PFEFFINGERO, sed etiam Vitembergæ a Summis Theo- NEVMANNO b. m. DN. D. WERNSDORFIO & DN. D. SCHERO, ad Domini bella, in Patria aliquando, sicut chri- stia-

B